

V. Teuffel 10 991

Wd. 82.



Contenta hujus Libri

1. Meinders. Dissertatio de jure Colonarum et Curij Dominio:
Liby Velorum Francorum et Saxorum —
2. Ept. Tractatus Historicis-juridicus de progressu
naturæ ac moderno statu nobilitatis et servitutis in
Germania Westphalia. Nam de Homines Proprijs Sive
de jure Colonarum Vulgo Sive Eigenthumbel arecht in
Westphalen.
3. Vindicia Libertatis antiquæ Saxonie Sive Westphaliæ
contra Illyricum Dominum Rhetum et Cæcigum.
4. Kustneri Tractatus de mensura et Annali præscriptione
Literarum Cambrialium.
5. Gerhardi Tractatus Juridicus de Regula Juris Germanici
Dersif gylt her mistfr.
6. De Goebel de jure Venandi. Diatriba.
7. Bornij de jure. Sive Tractatus politicus de Arcanis Sacris,
Civilibus, Militari, Communi, et Parriciorum.
8. Werlhoff Disputatio de alienatione et concessione
jurium quæ vocari solent Regalia.
9. Wijnen Dissertatio de Evictionibus.
10. Rotger Dissertatio de Consulibus Juridicis.
11. Cramer Disputatio de Impossibili possessione in Sæm
Traditione Symbolicâ.
12. Hahnij Sæm Ordnung.
13. Pagenstecher Disputatio de bono viro.
14. ab Haren Disputatio de Interventione.
15. Osij positiones Juridicæ de Appellationibus.
16. Budde de jure Compascui.
17. Braun Theses Juridicæ ex utroque jure Selectæ.
18. Heemes de usuris et mora.

19. Dissertatio Juridica De eo quod iustum est circa Diem.

[Faint, mostly illegible handwritten text in Latin, likely the main body of the dissertation.]



3.

VINDICIÆ
LIBERTATIS
ANTIQUE SAXONICÆ
SIVE
WESTFALICÆ

Et iusta explicatio

*Diplomatis Carolini Trutmanno Co-
muni prætense dati Anno 779.*

Contra

Illustrem Dominum RHETIUM,

Et

Celeberrimum Dominum COCCEJUM

Profesorem Francofurtensem.

Ubi


Gravissimi errores & lapsus in Historia
Westfalica Jctorum nostrorum deteguntur.

Et

Libertas Saxonie, sive Westfalie

Antiqua ex indubitatis, & certis monumentis asse-
ritur, & stabilitur.


LEMGOVIÆ, Typis & sumptibus HENRICI WILHELMI MEYERI.



2

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and staining.





DISSERTATIO
HISTORICO-POLITICA,

De
Libertate Saxonum Fidelium sub
Carolo M. five.

De
Præcepto, id est Diplomate Carolino,
TRUTMANNO COMITI à Carolo M.
Anno 789. ut vulgo putatur, dato,
& concesso.

Ubi dilucide ostenditur, hanc Formulam non esse specialem, uni Homini, vel Viro Illustri, qui *Trutmannus* appellatus fuerit, datam; Sed Generalem, atque Universalem, omnibus fidelibus Saxonibus saltem primi ordinis, sive ex Primaria Nobilitate ob Fidelitatem Juratam, à Carolo M. concessam. Idque tam ex contextu Orationis, quam ex similibus Præceptis & ejus ævi Historia comprobatur, & contraria sententia refellitur.

Ubi simul demonstratur, errare gravissime eos, qui originem Civitatis Dord-Mundianæ ab hoc imaginario Trutmanno derivare conantur. Item qui Saxones omnes in servitutem à Carolo M. redactos falsissime asserunt. Ubi quoque varii errores Historici & Politici Jætorum nostrorum Romanensium deteguntur.

Ad
Celeberrimum, & Nobilissimum Virum
Dominum Pottgiesserum.

Cicero Libro I. de Finibus
Cap. 5. in fine.

Mibi quidem nulli satis Eruditi videntur, quibus Nostra ignota sunt.

NOBILISSIME atque CLARISSIME
DOMINE!
AMICE PLURIMUM COLENDE!

Quantis in Tenebris & Caligine adhuc versetur Historia nostra Patria, ex hacce Dissertatione, ni fallor, ad oculum perspicere licebit. Quis enim Præceptum illud, sive Diploma Carolinum Truttmanno Comiti datum, non pro speciali Diplomate, singulari homini dato habuit? Quis non Truttmanni Vocabulum pro nomine proprio alicujus hominis ita dicti, non vero pro nomine Appellativo & Generali, nempe homine vel viro Fideli, ac Vasallo Bonæ fidei accepit? Quis non Celeberrimam urbem vestram, inter Civitates Imperiales non potestremam, originem trahere ab hoc Truttmanno Comite, hæstenu putavit; Sed Ego primus, Deo volente, in hac Dissertatione ad oculum ostendam, omnes Eruditissimos viros in explicando, & intelligendo hoc Diplomate, & Vocabulo Truttmanni gravissime peccasse. Et Dortmundiam, sive ut inepte vocant, Tremoniam non à Truttmanno Comite; Sed ab ostio Fluvii Dort & Mund, sicuti plurimas urbes cognomines fuisse appellatam. Truttmanni vero Diploma apud Tremoniensis conservatum generalem fuisse Chartam Ingenuitatis omnibus Fidelibus Saxonibus concessam. Quod, ut Tu Vir Clarissime, atque longe Doctissime ætate bonique consulas, etiam atque etiam Te rogo. Sic enim veli Tibi persvadeas, me hoc non invidiæ in vestram urbem, nec vanæ gloriæ, & Doctrinæ ostendendæ Causa præstitisse; Sed veritatis erudendæ, & Popularibus nostris demonstrandæ; Nec non illustrandæ Historiæ Patriæ gratia hunc laborem qualemcunque suscepisse. Simul ut ostenderem, quam graviter sæpe labantur, qui alios absque discrimine & Examine veritatis, cæco impetu pecudum more

sequuntur. Et quod Historia Patriæ nostræ Westfalæ adhuc multis erroribus & fabulis scateat. Et Illustratione Eruditorum Virorum plurimum egeat. Vale, & Laboribus nostris, ut facis, fave. &c.

Summaria.

Status Controversiæ exponitur. Omnes Eruditi hæcenus Diploma hoc Carolinum singulari alicui homini sive Personæ Truttmanno Comiti proprie ita nominato datum arbitratur. Quod pluribus Argumentis partim Artificialibus, parim Inartificialibus, & naturalibus ex materia rei, & antiquis Monumentis atque Documentis, magna cura, studio ac labore petitis, refellitur; Et simul ostenditur, Saxoniam antiquam, quantumvis à Carolo M. in Provinciæ formam redactam, & Francorum Imperio ac Regno unitam, mansisse Liberam; Ita tamen ut Episcopis & Sacerdotibus, quoad Decimas, & Oblationes Fidelium facta fuerit subjugalis & Tributaria. Ubi permultæ Quæstiones Historica, atque Politica, de Antiqua nostra Saxoniam, V.G. de Forma Reipublicæ antiquæ Saxonice, & de Origine nominis Tremonie, sive Dort-Mundie passim immiscentur. Subjungitur ob affinitatem materia Jacobi Andree Crusii Feti Mindensis Diatriba, sive Dissertatio, de Diplomate Carolino Truttmanno Comiti dato. &c. Item ejusdem Widekindus M. sive de Winkindi Principis Angariæ, ac Ducis Saxonum; Nec non Libertatis Germanicæ diuturno Bello contra Carolum M. Imperatorem gesto, Propugnatoris Fortissimi, vita moribus, Rebus Bello Paceve preclare gestis, Conversione ad Christianismum, obitu monumentoque Libera singularis, ex optimis Veterum Monumentis Consignatus. Mindæ in folio Anno 1679. 1. Sta-

1. Status Controversiæ in eo consistit, utrum fuerit in Re- rum Natura *TRUTMANNUS* aliquis Comes, vere & nomine proprio ita dictus? An vero vocabulum *TRUTMANNUS*, sit No- men appellativum & Generale, quod virum sive hominem fide- lem à voce *Truu, Trew*, & *Man* significet? (2) Utrum Diploma, sive Præceptum Caroli M. *TRUTMANNO* Comiti datum sit for- mula quædam specialis, certo homini data; An vero generalis, & Universalis omnibus Fidelibus Saxonibus, saltem primi ordinis, sive ex primaria Nobilitate concessa? (3) Utrum Civitas Imperi- alis Tremonia, sive Dortmundia nomen ab hoc Truttmanno Co- mite sortita sit? Nos, Deo dante, demonstrabimus, viros maxime, & solide eruditos, in Tribus hisce Quæstionibus gravissime fuisse hallucinatos, & lapsos.

Ad primam Quæstionem quod attinet, necessarium erit præ- mittere Diplomâ sive Præceptum Caroli M. integrum, ut exinde status controversiæ, & rei series, ac contextus, & connexio rectius cognosci, & intelligi possit. Primus illud publicavit Hen- ricus Meibomius Senior in notis ad Widekindum Monachum Cor- beiensem. Quod ita Eruditis placuit, ut plurimi sint, qui in scripta sua in integrum transcripserint: Quidam etiam Commentariis illustrarint. Inprimis Doctissimus Jctus Mindensis Nostras Jaco- bus Andreas Crusius, in Erudita Diatribe sive Dissertatione de hoc Præcepto sive Diplomate Carolino. Conferatur omnino Meibo- mius Junior, in Introductione ad Saxoniam inferioris inprimis Histo- riam pag. 26. ubi scribit: Hanc autem Formulam, antiquissimum Saxoniam Monumentum primus edidit, & inseruit notis suis ad Widichindi Monachi Annales Libro 2. Avus meus. Quæ adeo Eruditis placuit, ut sepius in Libris suis extare: Quidam etiam no- tis suis illustrare voluerint. Nuper in Gallia Vir Clarissimus, *STE- PHANUS BALUZIUS*, sacrae pariter, ac profanae; Veteris ac Recentis Historiæ, si quisquam peritissimus, Præceptum hoc Caro- linum dignum judicavit; Quod Capitularibus Regum Francorum, Duobus Tomis splendide à se editis, adjungeret. &c. Hactenus Meibomius: Nicolaus quoque Schatenius, Præclarus Jesuita illud ex Meibomio repetit, & illustrat Historiæ Westfalicae Libro 8. pag. 539. verbis: Carolus M. reducto per Visurgim Exercitu, à Sla- vica

vica expeditione, in Westfaliam regressus est. Quarto enim Kal. Oct. 789. ad villam *TRUTMANNI*, Viri Illustris divertit; Et hunc ipsum *TRUTMANNUM*, ejus loci Comitern & novi, quod erexit inter Westfalos, Tribunalis, Præsidentem creavit. Quam in rem suppetit vetustum Caroli M. Diploma; Quod hoc loco referre interest. *Diploma Caroli M. Trutmanno Comiti, ut fertur, datum.*

*In nomine Sanctæ, & individue Trinitatis. Carolus Divina ordinante gratia Rex. Si Domino Deo, exercituum succurrente, in bellis victoria potiti sumus; In illo, & non in nobis gloriamur. Et in hoc seculo pacem, & prosperitatem; Et in perpetuo futuro, æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Propterea omnes Christi fideles noverint, quod Saxones, quos a progenitoribus nostris ob sua pertinaciæ perfidiam semper indomabiles; Ipsique Deo & nobis tam diu rebelles, quousque illius, non nostra virtute ipsos, & bellis vicimus; Et ad Baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristinae libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsique tributarios, & subjugales devotè addiximus: Eosque in fide Christiana retinere optamus, & perseverare cupimus. Quapropter in illa parte Saxoniae, *TRUTMANNUM*, virum Illustrern ibidem Comitern ordinamus, ut resideat in curte, ad campos, in Mallo publico, ad universas causas audiendas; vel ad recta judicia terminanda. Isque advocatum omnium Presbyterorum in Saxonia fideliter agat: Super vicarios, & scabinos, quos sub se habet diligenter inquirat, & animadvertat; Ita ut officia sua sedulo peragant. Tandem idem Comes, omnia sibi singulariter à nobis præscripta, toto conatu, & totis viribus perficiat: Et ita memoratus noster Comes *TRUTMANNUS* bene ingenuus, & securus existat. Et ut ista ingenuitatis Pagina, firma stabilisque consistat, manu propria subscripsimus: Et annuli nostri impressione signari jussimus.*

Signum Karoli Regis invictissimi Hildebaldus Archiepiscopus Colonienfis, & sacri Palatii Capellanus recognovi. Data IV. Kal. Octob. Anno Dominicæ incarnationis DCC LXXXIX. indict. XII. Anno autem regni Domni Karoli XXI. Actum in villa Trutmanni, feliciter, Amen.

Ubi notanter addit Scharenius: Villa hæc Regia, cui Trutmannus Comes ac Judex impositus est, à Carolo M. celebris, inde homi-

hominum frequentia, cultuque loci in oppidum, ac post in urbem affurrexit; Varioque nominis sono à scriptoribus olim tradita; Modo enim Trotimannia, modo Druthmania, & Trutmania: Nunc vicus *Droo-Manni*: Rursum urbs *Trot-Manni*, & *Droimanni*: Aliis etiam *Trot-Munda*, & *Thrut-Munde* scibitur. Prima & sincerior appellatio, inquit Schatenius *Trut-Mannia*, à Trutmanno Comite, & conditore suo. Quanquam nunc *Tremonia* nomen obtineat: Inter primas imperii urbes, haud immerito recensenda. Quod in eo loco Carolus M. *publicum & regium tribunal*, seu *Mallum* (ut veteres dixerunt) superioris Westfaliae constituerit; Ad quod omnes gravioris momenti causa, & controversia tanquam ad senatum, & curiam Regis deferrentur. Haecenus Schatenius. Conferatur omnino Meibomius senior in notis ad *Wideckindi Monachi Corbeienfis annales*, Libro 2. his verbis: Quae dicitur *Trothmanni villa*. *Tremonia* inquit, ut hodie eruditus nominatur, urbs est imperialis, in illustri Westfaliae comitatu *Marcano*. Nomen ei datum à *Truth-Manno*, viro illustri; Quem Carolus M. Saxonibus ad Christi religionem perductis, Comitem ordinavit, Anno 788. *Diploma adhuc superest*, addit Meibomius. Quod propter venerandam antiquitatem integrum subjiciam. Deinde postquam *Diploma* recensuisset, sic pergit. Diversimode scribitur ab Historicis, & in Diplomaticis Otto III. *Troti-Maniam* Anno 993. Henricus II. *Druth-Manniam*. Continuatori Reginonis ad Annum 953. est *Vicus Droo-manni*: *Dithmaro* Libro 6. *Trotmunnii* Gobelino Aetatis VI. Cap. 48. *Trot-Munda*: *Chronico Thuringico* apud *Pistorium Truchmunde*. Conferatur *Stangefollius* in annalibus circuli Westfaliae Libro 2. pag. 90. 103. & 113. Ubi multa de urbe nobilissima *Tremonia* nostra reperies.

Verum, quicquid sit, magna illa nomina me non absterrent, quin ego credam, nullum unquam Comitem nomine proprio ita dictum, in rerum natura fuisse. Sed vocabulum *Trutmanni* esse nomen appellativum & generale omnibus fidelibus Saxonibus applicari & donari solitum; Ac formulam illam fuisse generalem atque universalem, omnibus *Trutmannis*, sive *Antrustionibus*, id est, vassallis, & viris fidelibus, praesertim Saxonibus nostris, qui fidem Carolo M. jurabant, concedi & dari consuetam. In qua opinione valde singulari, & problematica me confirmat, non solum ipsa formula,

muia, & formulæ contextus, qui generalis est; Sed etiam similes multæ formulæ, quæ passim apud auctores vetustos, & novos reperiuntur. &c.

In primis vero confirmor in ea opinione per vocabulum ipsum *Trutmanni*. Quod à fide, & viro derivatum esse jam ante me vidit clarissimus Meibomius Junior in introductione ad Saxoniam inferioris præpmissis Historiam pag. 26. Ubi hæc verba habentur: An autem ex Francica, an Saxonica nobilitate *Trutmannus* ille fuerit, incertum est. Nomen quidem Saxonicum esse videtur: Et significare *Lieb-Man* forte *Truv-Man*. Priori illa voce etiam in nominibus aliis propriis *Drutmarus*, sive *Trutmarus* occurrente. &c. Conferatur Stangefollius in annalibus circuli Westfalici latinis, Libro 2. pag. 90. ubi in margine scribit: Diploma Caroli M. datum Comiti solum hic pono. Ejus autem explicationes, & annotationes de *Tremonia* videre est in meis annalibus germanicis, ubi quæ in hoc Diplomate obscura sunt, satis declaravi. Et postea in fine contextus. Hujus Diplomatis explicationem, & notationes videre in meis annalibus germanicis Libro 2. adhuc annum 789. &c. Quas annotationes necdum vidi. Sed forsitan ingenium rude auctoris respicient.

Ceterum à fide *Trew*, vel *Trüw*, *Trutmannos*, fideles vel *Antrusionen* esse dictos & formulas ejusmodi solennes, in testimonium fidelitatis clientelæ, & protectionis Regiæ talibus clientibus, vasallis ac fidelibus antiquitus fuisse concessas, eleganter probat *du Fresne* in glossario, voce, *Trustis*. his verbis: *Trustis* fides, *fiducia* ex Germanico, *Trost* / vel *Trust* (melius, *Trüw*) aut Theutonico *Trost*. Quod idem sonat. Præterea, *Solamen*, *Solatum* *Levamen*. &c. *Marculfus* Libro I. formularum, 18. *In manu nostra, Trustem, & fidelitatem visus est conjerasse.* &c. *Trustem* facere, est *fidem*, seu ut posteriores locuti sunt, *hominium* Regi præstare. In *Truste* *Dominica*, in *Truste* *Regis*, & ex *Truste* *Regali* esse dicuntur, qui Regi ipsi fidem jurarunt, & protectionem ejus acceperunt. Quod procerum præsertim fuit: Quos inde *Antrusionen* vocarunt: *Fideles* ii postmodum dicti. Vetus codex *Miptus pacti salici*, ex *Bibl. Regia*, pro eo quod habetur in edito: *Si quis eum occiderit qui in Truste Dominica est.* &c. Hæc præfert: *Si quis Antrusionem Dominicum occidisset,*

set, 24. Danariis, qui faciunt solidos 600, culpabilis judicetur. Id præterea omnino declarat Marculphus, formula laudata, cujus Titulus est: *De Regis Antrustione*. *Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur illesam, nostro tueantur (id est, defendantur) auxilio. Et quia ille fidelis, Deo propitio, noster, veniens ibi, in palatio nostro, una cum Armonia sua in manu nostra Trustem, & fidelitatem nobis visus est conjurasse: Præterea (forte, propterea) per præsens præceptum decernimus, ut deinceps memoratus ille in numero Antrustionum computeitur.* Et si quis forte eum interficere præsumpserit, noverit, se *Wroldo* suo solidos 600. esse culpabilem judicandum. &c. Ubi *Antrustio*, seu *fidelis*, veluti *vassallus*, fidem Regi profiteretur: Et vicissim Rex securitatem, tuitionem, ac patrocinium ob juratam fidelitatem *Antrustioni* pollicetur. Fiebat autem ejusmodi *Trustis*, seu fidelitatis Sacramentum, à fidelibus, more *Francico*, in manus Regis, in *vassaticum*, manibus complicatis: vel *commendatis*. Sacramento interdum ad sacras reliquias præstito. Quam quidem fidelitatem hominum postmodum appellarunt. &c. Fuisse autem *Antrustionum* summam dignitatem, ex eadem lege salica, Titulo 32. §. 20. Edit. Herolti colligitur. &c. Uade cum viri *salici*, & *ingenni* inter nobiles haberentur, consequens est, *Antrustiones* viros fuisse in aula Regis primarios. &c. Vide ibidem, vocabula, *commendatus*, *fidelitas*, *hominium*, *vassatibus*. Hactenus du Fresne. Cui adscriptur *Bognonius* in notis ad Marculphum. ad Capit. 18. & verba: *De Regis Antrustione*. Ex hac formula apparet: *Antrustionem* dici *fidelem Regis*, qui se fidem ei servaturum juramento spondit. Quod & nomen indicat. Fidem enim *Trevv* hodie quoque Germani vocant. Ut apud *Aventinum* in *glossario*, *Drou* & *Dravv*; Quæ non nisi pronunciatione differunt. Itaque *Antrustiones*, *fideles* sunt. Leudes, ut passim *Gregorius Turonensis* eos vocat: Et auctor *appendicis* ad *Gregorium*; Aut ut sequens ætas dixit, *vass*, & *vassalli*. &c. Juramentum vero in manu Regis præstabant ejusmodi fideles, sive *vassalli*. *Bignonius* ibidem, pag. 899. apud *Balurium* Tomo 2. Manibus enim datis, more *Francico* *fidelitas* promittebatur. *Annales Pipini: Illuc & Tassilo Dux Bojavorum, cum primoribus gentis sue venit; Et more Francico in manu Regis, in vassaticum (id est, fidelens, sive clientem & vassallum) manibus suis semper ipsum commendavit:*

Fidelitatemque tam ipsi Regi Pipino, quam filiis ejus Carolo, & Carolomanno, jurejurando super corpus sancti Dionysii promisit. Qui locus fidelitatis ejus morem aperte tradit; Et Marculphum omnino illustrat. Sacramenti vero formulam, qua conceptis verbis, super Sanctorum reliquias jurabatur, ediderunt Petrus Pithoeus, & Franciscus Pithoeus in glossario. Item du Fresne, voce, fidelitas. Hominium postea dictum; Cujus formulas posterioribus seculis, varii varie, pro moribus Regionis tradiderunt. Se ipsum commendare, pro hominum, seu fidelitatem facere, tunc usurpabatur. &c. Quod exemplis ibidem illustrat. Hactenus Bignonius. Trutmanni igitur, sive Antrustiones, olim erant fideles, id est, Clientes, sive vassalli Regum & Principum. Nec dubito, formulam illam allegatam, fuisse formulam generalem, & universalem, quæ omnibus fidelibus Saxonibus tum temporis concedebatur. Quam conjecturam sane probabilem ulterius confirmat Doctissimus Spelmanus in glossario, voce, Antrustio & Truste, ubi ad scopum nostrum, & in rem nostram ita scribit: Antrustio, & Antrustio, quasi ab Ambt/ Germanis Munus, officium; Et Truwoe, Treu Tru, Fides, Fidelis. Sic Antrustio (sive Trut-Mannus) Fides seu Fidelis in munere. Vel officialis, Minister, Leudes, Famulus, Vassallus, Fidelis. Fuisse autem videntur Antrustiones, classis quædam selecta, cui Reges olim Germanicæ originis, plurimum confisi, Patrocini Beneficium, ob juratam fidelitatem retribuere. Qui enim Ambt-Trustionum numero adscribendus erat, una cum Arimania, id est, Familia, & Clientela sua, fidelitatem jurabat; Chartamque suæ institutionis recipiebat. Illique apud Julium Cæsarem Libro VI. de Bello Gallico, Ambacti, sive Clientes, & Vassalli, sive fideles, apud Tacitum de moribus Germanorum, Comites, & socii in bello videntur fuisse appellati. &c.

Formulam Antrustionis, sive Ministro & servo fidei datam describit Spelmanus ex Marculpho ibidem, hisce verbis: Chartam suæ institutionis recipiebat, in hæc verba: Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur in lætam, nostro iuvantur auxilio. Et qui ille fidelis, Deo propitio, noster, veniens ibi, in palatio nostro unâ cum Arimania (id est, familia & consanguinitate sua) in manu nostra Trustem, & Fidelitatem nobis visus est conjurasse, propterea per præsens præceptum decernimus, ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero Antrustionum computetur. Hactenus Marculphus

culphus Libro I. Formularum Cap. 18. Ubi obiter monendum, vocabulum Germanicum *Droste*, *Ambt8: Droste*, à vetusta voce *Amtrustio* videri derivandum. Videatur idem Spelmannus, in voce *Drudes & Druidi*. Fideles à Germanico *Drouvy*, *Triuw*, id est, Fides. Fidelem nos etiam hodie *Trüe* dicimus, juxta Saxonicum vetus. Sunt autem *Drudes* isti, non tantum fideles simpliciter; Sed ex Vasallorum genere, qui in Feudali jure fideles appellantur: Et inter hos, forte species quadam particularior, ut de *Amtrustionibus* dictum est superius.

De hisce fidelibus, eorumque origine & progressu, ac juramento fidelitatis eorundem, videatur sæpe dictus Spelmannus voce *Fideles*. Fidelitatem eam, qua Vasallus Domino obligatur, aliunde non repetam quam à Germanis. Dici enim videtur Vasallus à Germanico veteri *Gesel*, id est, *Comes* simpliciter, vel *Comes*, qui mercede servit. Et hujusmodi *Comites* Domino Pagenli (quem Tacitus principem vocat) multo obsequio navasse operam, idem auctor ostendit. *Quin & illum*, inquit, *defendere, meri, sua quoque fortia facta gloria ejus assignare, Sacramentum, seu Religio est.* &c. Nominis igitur & sacramenti Vasallorum seu fidelium originem habemus, inquit Spelmannus. *Truthmanni* igitur vocabulum hic aliud nihil significare videtur quam *hominem fidelem*, à *Tren*, *Triuw*, & *Man*. Et Saxones omnes Fideles, & Christianam Religionem professos ejusmodi Chartam ingenuitatis à Carolo M. accepisse. Imo inter Saxones fideles, & infideles manifestam fuisse distinctionem non solum ex sanæ rationis dictamine cognoscitur; Sed etiam ex legibus antiquis, & præsertim captulatione bina Caroli M. de partibus Saxonix elucescit. Ubi disertis verbis Saxones fideles & infideles distinguuntur. Nec obstat, quod hæc charta ingenuitatis uni viro vel homini proprio nomine, *Truthmannus*, appellato concessa videatur; Quia aliud nomen proprium non exprimitur. Sed facilis est responsio: Nempe nomen proprium in ejusmodi formulis generalibus omissum fuisse, sicuti formulæ apud Marculphum declarant; ubi loco nominis plerumque *N.* vel *ille & ille*, occurrit.

Verum multa obstat videntur dubia, quæ hanc Chartam non generalem, sed specialem, & uni Comiti *Truthmanno* datam esse evincunt; nec ad plures Personas, sive *Truthmannos* queunt

applicari. Quæ nos ad certa quædam capita redigemus; Et postea pro viribus nostris, & ex conjectura probabili ad objecta dubia respondebimus. Primum igitur dubium est, quod nulli scriptorum hæc conjectura in mentem venerit: Non videtur vero probabile, tot viros doctos, & rerum patriarum peritissimos in re tam perspicua, ut putatur, hallucinari, & adeo cecutire potuisse. (2) Quod villa *Druthmanni*, sive *Truthmanni* disertim memoretur; quæ verba aliter explicari non possunt quam de Tremonia, sive *Dortmundia* & *Drotmannia* nostra; Neque aliter à viris eruditis explicata sunt. (3) Quod celeberrima civitas imperialis Tremonia, sive potius *Dortmundia* splendorem & antiquitatem suam ac jura imperialia amittat, si non ad Caroli M. tempora, & atatem ac merita *Truthmanni* referatur; Atque inde principia, ac primordia urbis *Tremoniensis* arcescantur. (4) Quod disertim unius viri illustri *Truthmanni* in Diplomate mentio occurrat, qui in illa parte Saxonie in curte, ad campos, in mallo publico, ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda residere debeat. 5to. Isque Advocatum omnium Presbyterorum, in tota Saxonie fideliter agat & 6to super vicarios, & scabinos, quos sub se habet diligenter inquiret, & animadvertat, ut officia sua sedulo peragant. (7) Tandem idem Comes omnia sibi singulariter præscripta, toto conatu, & viribus perficiat. (8) Atque ita memoratus noster Comes *Truthmannus bene ingenuus*, atque securus existat. (9) Ideoque ista *ingenuitatis* Pagina ab ipso Carolo M. manu propria subscripta, & annuli impressione signata perhibetur. (10) Et quidem Anno Dominicæ incarnationis 788. ut aliqui numerant; vel ut alii 789. (11) Et quidem actum in villa *Truthmanni*, feliciter, Amen. (12) Quæ omnia non nisi de uno homine, & singulari subiecto possunt prædicari; Non vero de pluribus subiectis & personis dici. &c.

Quæ argumenta sane speciosa videntur, & quæ vix ullam probationem in contrarium admittant. Sed nos breviter respondebimus ad (1) nihil mirum est, viros ante me eruditos non per spexisse vim ac mentem, & sensum Diplomatis, sive formulæ generalis, cum nihil sit frequentius inter auctores, quam sequi semper posteriores antecedentium gregem, & quasi non nihil sit tam commune, quam errare etiam in perspicuis, eruditorum vulgus, juxta
Scac-

Senecam, de ira Libro 2. Cap. 9. verbis quisque sequitur priores, male iter ingressos. Quidni excusationem habeant, cum publica via erraverint. Audi consilium ejusdem Senecæ libro de vita beata Cap. 1. Quamdiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum & clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores. Et postea: Nihil etgo magis præstandum, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundem est, sed qua itur. Atqui nulla res majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: Optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt. &c. Inde tanta est cœrvatio aliorum super alios mentium. Hoc in omni vita accidere videas licet; Nemo sibi tantum modo errat; Sed alieni erroris & causâ, & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus. Et dum unus quisque mavult credere, quam judicare, nunquam de errore judicatur, semper creditur: Versâtque nos & præcipitat traditus per manus error; alienisque perimus exemplis. Videantur plura ibidem in hunc sensum.

Ad 2dum dubium respondeo: Majores nostros, sive antiquos Saxones in villis & vicis, non vero in urbibus, & magnis civitatibus plerumque habitasse, testantur passim auctores antiqui, & moderni. Videatur Winkelmannus in notitia veteris Saxo-Westphaliæ Libro 2. Cap. 9. 10. 11. &c. Nihil mirum igitur est, in quo loco nunc est Tremonia, sive Dortmundia, ibidem habitasse quendam fidelem Saxonem sive *Truthmannum*, cui Carolus M. in illa parte Saxoniæ Regiones, & provincias regendas tradiderit, & commiserit. Illud vero disertim nego: Hodiernam Civitatem Tremoniam, sive Dortmundiam, à *Truthmanno* illi incognito quodam Comite appellatam fuisse; Cum potius *Dort-Mundia*, id est ostium, sive os cujusdam fluvii *Dort-Munda* dicti ante talem Comitem existerit. Et auctores passim de origine nomenclaturæ *Dortmundia* gravissime dissentiant. Videatur omnino Stangefollius Libro 2. circuli Westphalici pag. 90. 103. & 113. Item Bertius, de urbibus Germanicis; Munsterus in Cosmographia, & alii Cosmographi & Topographi, præsertim locus insignis in Topographia Westphaliæ. Meibomius in notis ad Wittekindum supra allegatus.

Ad

Ad Tertium dubium respondeo: Tantum ab est, ut splendor & antiquitas, nec non gloria & præstantia sive nobilitas urbis Imperialis Tremoniensis inde obscuretur, & obscureretur; Ut potius majorem splendorem & antiquitatem splendidiorem, & excellentiorem consequatur. Ego enim sic statuo, *locum illum Dortmundiam*, multo antiquiorem fuisse Carolinis temporibus, ubi *Truhmannus* quidam, id est, *fidelis homo* Caroli M. eo tempore habitaverit. Cum vero scioli quidam viderent, hoc nomen alludere ad vocabulum *Truhmanni*, statim inde *Truhmanniam* formarunt; Et originem loci tam celebris ab hoc vocabulo derivarunt. Nihil igitur officit iuribus, & privilegiis urbis Imperialis antiquissimæ si nomenclatura vetustissima illius urbis, non à viro quodam Truhmanno, sed à flumine potius quodam & ore sive ostio fluminis derivetur. Unde antiquissima quæquæ oppidorum Germanicorum nomina & vocabula originem trahunt. &c.

*Saxonia
fœd.*

Quarto quoque nihil officere potest, quod diserta mentio *Truhmanni* in Diplomate Carolino reperitur, & quod vir Illustris nuncupetur. Quia uti diximus, sicuti in antiquis formulis fieri solet, ac consuevit, nomen proprium Comitis ibidem omissum est. Quemadmodum in formulis Mareulphi & aliorum passim apparet. Ubi per litteram N. vel syllabas, *ille*, & *ille*, spatium deficientis supplendum. Fuit autem prope infinitus talium Comitum numerus in antiqua nostra Westphalia; Quod erudite observavit Gryphander de Weichbildis Saxonice Cap. 27. num. 9. ex antiquo scriptore, hisce verbis: Neque enim tantum ducibus, sed & Comitibus subjecta fuit Saxonia antiqua. Sicuti B. Rhenanus Libro 3. Rerum Germanicarum testatur: Francos Provincias suas omnes Comitatus distinxisse. In quo Carolus M. singulari arcano usus, Quod ita descripsit auctor Anonymus, natione Saxo, à Theodorico Niemensi editus, inter opera Schardii, de iuribus, & Privilegiis imperii: *Carolus*, inquit, *Saxoniam*, que tunc sub uno Principe regebatur, in plures scilicet Comitatus, Baronias, & alia Dominia divisit; Et de diversis exteris Regionibus, de quibus confidebat, in Dominos & Rectores dicta antiqua Saxonie deputavit; Concedendo cuilibet eorum, juxta ipsius statum, & merita, singula Dominia: Quibus sub quodam intolerabili iugo, plebem, seu rusticos antiqua Saxonia subjecit. &c. Gravissime igitur fallit,

fallit, ac fallitur Clarissimus Dnus Coccejus, qui in juris prudentia publica ita scribit, pag. 182. *Ipsa terra tota (Westfalia nempe) a Carolo M. in IV. Comitatus, & totidem Episcopatus divisa est.* Ubi quoque hoc Diploma Carolinum de Truhmanno Comite allegat; Et putat unico homini, sive Comiti datum fuisse; Quod contra omnem fidem annalium, & scriptorum ejus ævi pugnat; qui multos, imo prope infinitos Comites in antiqua Saxonia olim existisse uno ore contendunt, ac testantur. Jam olim temporibus Romanorum, quot pagos, & vicos tot pene Duces, & Principes, id est Comites & judices habuisse ex Julio Cæsare & Tacito probat illustris Auctor Monumentorum Paderbornensium pag. 143. In his pagis, Duces, Principes, Satrapæ, Comites jus dicebant. Cæsar Libro VI. de bello gallico: *in pace nullus est communis Magistratus: Sed Principes Regionum atque Pagorum inter suos jus dicunt, controversasque minuunt.* Tacitus de moribus Germanorum. *Eliguntur in eisdem Conciliis & Principes, qui jura per pagos, vicosque reddunt.* Poeta Anonymus:

Sed variis divisa modis plebs omnis habebat

Quot pagos, tot pene Duces.

Beda Historiæ Ecclesiasticæ Libro 5. Cap. 2. Rolevingius de Laudibus antiquæ Saxonix Libro 2. Cap. 1. pag. 52. *Regem anti-qui Saxones non habebant;* Sed per pagos Satrapas plures constitutos. Conferatur Conringius in notis ad Lampadium. &c. Hinc igitur satis manifeste, ni fallor, apparet; non unum Comitem in illa parte Saxonix fuisse constitutum; Sed plures eadem formula: Id quod formula ipsa generalis per se satis manifeste & perspicue declarat. Quomodo enim vel unicus Comes *Truhmannus* ad universorum causas audiendas, & recta judicia terminanda in universâ antiqua Saxonia sufficere & superesse potuisset? Quomodo Advocatum omnium Presbyterorum, NB. in tota Saxonia fideliter agere quivisset? Quomodo super Vicarios, & Scabinos universos, quos *sub se habet*, diligenter inquirere, & ut officia sua sedulo peragant animadvertere potuisset? Si uni Personæ & Comiti in universâ Saxonia hoc Diploma Carolinum datum fuisset. Fuerunt igitur plures omnino Comites, sive fideles Saxones, id est, *Truhmanni, Amtrustiones, Ambts-Drosfen.* Quibus sub eadem formula hocce Diploma concessum fuisse videtur.

C c

Ad

Ad Quintum Dubium respondeo: Omnino fuisse & esse impossibile ut unus *Advocatus* omnium Presbyterorum in tota Saxonia curam & protectionem, sive Patrocinium fideliter agat. Quia quot olim Ecclesiae in Saxonia antiqua, sive Westphalia nostra fuerunt à Carolo M. conditae; Totidem etiam Ecclesiarum Advocati & Protectores ex veteri more fuere constituti. Plures autem Ecclesias Principales condidisse, & fundasse Carolum M. testatur Dithmarus Episcopus Merseburgensis Libro VII. verbis: *Anno Dominicae Incarnationis DCCC. praedictus Caesar Carolus, ad suae virtutis & Bone operationis decorationem, in una die octo Episcopatus, in Saxonia Christo subdita, dispositis singularibus Parochiis constituit.* Auctor translationis S. Liborii Cap. 1. num. 2. Indefinite, nulla annorum nota apposita, scribit: Carolum, *ut se magis Christianae Religionis, quam regni sui dilatandi gratia, tante rei difficultatem aggressum ostenderet, Ecclesias per omnem regionem illam Saxoniae ad quas rudis in fide populus confluere doceretur; Et sacramentis caelestibus initiari consuesceret, sub quanta potuit celeritate, construi fecisse; Atque Parochias diligenti ratione, suis quasque terminis servandas designasse conferantur Diplomata Ecclesiae Verdensi, & Bremensi concessa.* Item Adolphus Overham in notis ad vitam Meinverci. pag. 276. & 271. Anno 777. Jam tum erectas fuisse Ecclesias in antiqua Saxonia nostra, testatur *Monachus Divionensis*, in cœnobii sui Chronico, apud Dacherium, Tomo I. spicilegii, ad Annum 777. his verbis: *Gloriosus Rex Carolus venit Saxoniam, loco, qui vocatur Parrisbrunna; Et ibi habuit Placitum Magnum.* Et ibi convenerunt Saxones ad Baptismum Catholicum; *Edificaveruntque ibidem Ecclesiam Franci; Multaque millia populorum ibi baptizata sunt: Ea conditione à Rege proposita, ut abjecto demonum cultu, & reliquis patriis ceremoniis, Christianae fidei sacramenta susciperent: Et Franci advenati, unus cum eis populus efficerentur.* Quae ex Eginhardi Commentario de vita Caroli M. desumpta sunt. Unde apparet, jam Anno Christi 777. quamplurimas Ecclesias ubique locorum in Saxonia fuisse conditas, & institutas, utpote cum jam multa populorum millia essent baptizata, sive sacro fonte abluta: Et unus *Advocatus* tot Ecclesiis defendendis minime sufficeret.

Ad Sextum Dubium similiter respondeo: Unum hominem sive Comitem tot Vicariis, & Scabinis regendis non potuisse sufficere.

Plu-

Plures vero Comites fuisse constitutos Saxonie administrandae atque gubernandae, supra docuimus. Et verba ipsa formulae Carolinae declarant: Isque Advocatum omnium Presbyterorum in tota Saxoniam (nempe in illa parte Saxonie, quae ipsi administranda, & gubernanda commissa erat) fideliter agat: superque Vicarios, & Scabios, quos sub se habet, NB. NB. diligenter inquirat, & animadvertat, ut officia sua sedulo peragant. &c. Ubi obiter monendum, nisi valde fallor, videri hic institutum occultum illud iudicium Westphalicum, quod per Vicarios & Scabios olim hisce in Regionibus passim non ab uno Comite; sed à plurimis Comitibus, sive Gograuiis ab antiquissimis retro temporibus, sub Dio, in campis publicis, exerceri solebat. Videatur Gryphander de Weichbildis Saxonici. Et Dissertatio nostra, sive Tractatus integer, de occultis iudiciis Westphalicis, & centenariis veterum Francorum & Saxonum.

Quod Septimo videntur innuere verba sequentia: Tandem idem Comes omnia sibi singulariter à nobis prescripta toto conatu, & viribus perficiat. &c. Ubi secreta quaedam commissio & mandatum generale in civilibus & criminalibus iudiciis videtur inunctum, non uni Comiti Truthmanno singulari homini, ut putant; Sed omnibus Truthmannis, sive Amrystonibus, & fidelibus Comitibus illius Regionis. Quod & formula illa generalis, quae ad omnes fideles Saxones pertinet, sub initium Diplomatis declarat; Verbis: Propterea omnes Christi fideles noverint, quod Saxones, quos à progenitoribus nostris, ob suae pertinaciae perfidiam, semper indomabiles, ipsi Deo, & nobis tam diu rebelles, quousque illius & non nostra virtute, ipsos & bellis vicimus, & ad Baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristina libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsique tributarios, & vestigales devote addiximus. &c. Quae ad omnes fideles Saxones pertinent. Conferatur vetus formula manumissionis apud Rosinum Libro I. antiquit. Romanarum, Cap. 19. Quae sic habet: ille N. civis Romanus esto; Ita ut ab hodierna die ingenuus, atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat; Tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus. Eam denique pergat in partem quamcunque elegerit, ut deinceps nec nobis, nec successoribus nostris ullum debeat obnoxia conditionis servitium sed omnibus diebus vitae suae, sub certa, plenissima

que ingenuitate, sicut alii cives Romani per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum semper ingenuus & securus existat.

Octavo. Quod ulterius declarat sequens formula *ingenuitatis*: Quæ non uni Comiti alicui, v. g. *Truthmanno* dicto; Sed omnibus *Truthmannis*, id est, *fidelibus* Saxonibus, & præcipue viris primi ordinis atque dignitatis, sub initium pacis cum Saxonibus inita concessa videtur, his verbis: *Atque ita memoratus noster Comes Truthmannus N. N. sive ille, & ille (nomen in formula nempe addendum) bene ingenuus, atque securus existat: Et ut ista ingenuitatis Pagina firma, stabilisque consistat, manu propria subscripsimus; Et annuli nostri impressione signari iussimus.* Tales formulæ plures occurrunt apud *Marculphum*; Item similis fere formula apud *Franciscum Guillelmannum* in antiquitatibus Helveticis. Omnes vero fideles Saxones per similes formulas ingenuitatem, quam per Rebellionem perdidierant, recuperasse, valde probabile videtur.

Formulam illam *ingenuitatis* Nono quod attinet, ea illo tempore maxime necessaria erat, non uni alicui *Truthmanno*; Sed omnibus *Truthmannis* sive *fidelibus* Saxonibus. Id quod apparet ex *Adelmo*, sive *Eginbardo* in annalibus Francicis ad Annum 777. ubi hæc verba notatu digna habentur: *Ceteri qui venerant, ita se Regis potestati submisere, ut ea conditione tunc veniam percipere mererentur; Si ulterius sua statuta violarent, patria, & libertate privarentur. &c.* *Regino Abbas Prumiensis* in Chronico ad eundem Annum 777. *Anno Dominice incarnationis 777. Rex Saxoniam ingressus, placium tenuit in loco, qui dicitur Padres-Brunna. Ubi omnes Saxones conveniunt, excepto Widichindo, qui cum paucis Saxonibus in partibus Northmannie confugit. Et postea: Ubi etiam multi Saxonum baptizati sunt; Et sacramenta secundum consuetudinem dederunt: Ut perderent ingenuitatem, & omnem hereditatem, nisi conservarent susceptam Christianitatem; Et promissam fidelitatem Regis; & filiorum ejus: Nec non & Franco-rum. &c.* *Annales rerum gestarum à Carolo M. à Reubero editi* ad Annum 776. & 777. Rem omnem notanter describunt, & sic habent: *Hæc cum Regi nuntiarentur, conventu apud Wormatiam habito, Saxoniam petere statuit; Contraactisque copiis, tanta celeritate, ad destinatum à se in Saxonia locum pervenit, ut omnes hostium sonatus, quibus ei resistere conabantur, illa festinatione præverteret. Nam*
ad

ad fontem Lippiæ veniens, *immensam illius perfidi populi multitudinem, veluti devotam, & supplicem, ac quasi erroris sui veniam poscentem invenit. Cui cum & misericorditer ignovisset; Et eos qui se Christianos fieri velle affirmabant, baptizari fecisset, datis, & acceptis, pro fide servandi fraudulentis eorum promissionibus: Obsidibus quoque, quos imperaverat, receptis, Eresburgo Castro, quod dirutum erat restaurato, aliq̄ castello super Lippiam exstructo, & in uroque non modico prasidio relicto, in Galliam reversus est.*

Et ad Annum 777. hæc verba habentur: Rex propter fraudulentas Saxonum promissiones, quibus fidem habere non poterat, ad locum, qui Paderborna vocatur, generalem populi sui conventum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est. Eo cum venisset, totum perfide gentis Senatuum ac populum, quem ad se venire jusserat, morigerum ac fallaciter sibi devotum invenit. Nam cuncti ad eum venerunt, præter *Widekindum, unum è primoribus Westfalorum; Qui multorum sibi facinorum conscius, & ob id Regem veritus, ad Sigefridum Danorum Regem profugerat; Ceteri, qui venerant, ita se Regis potestate submisere, ut ea conditione tunc veniam percipere mererentur; Si ulterius sua statuta violarent, patria, & libertate privarentur. Baptizata est ex eis ibidem maxima multitudo, que se, quamvis falso, Christianam fieri velle promiserat. &c.* Hactenus Eginhardus, vel quisquis est Auctor. Cum igitur maxima Saxonum multitudo sive vere & pie, sive fraudulenter tum baptizata, & sacro fonte tinctâ fuerit; Nullum dubium est, multos etiam pastores, & sacerdotes fuisse ordinatos, & institutos, quibus unicuique Comes, veluti Advocatus & Protector, in universa Saxonia præesse non poterat. Sequitur ergo, plures ejusmodi Comites, sive *Tiuthmannos, & Amrusiones, id est fideles homines, fuisse creatos, & per tabulas ingenuitatis à pristina servitute, quam ob rebellionem incurrerant, manumissos; Et Saxoniarum antiquarum populis præpositos. Idque circa Annum 778. & sequentibus, per formulam supra scriptam factum esse videtur. Anno vero 788, vel 789. Diploma Carolinum datum est. Quamvis editores in annis dissentiant.*

Annales Francorum Fuldenses apud Freherum, ad Annum 777. *Saxones post multas cedes, & varia bella afflicti, tandem Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur: Et conventus in Saxonia habitus, in*

loco, qui vocatur *Padra-Brunno*. Ibi Saxones baptizati, *ingenuitatem*, & omnem proprietatem suam secundum morem gentis abdicantes, Regi se tradiderunt; Si à die illa & deinceps Christianitatem; Et Regi, ac filiis ejus fidelitatem abnegassent. &c.

Eadem habent *Ursbergensis*, & *Abbas Stadenfis*. Item *Theodulphus* eodem Anno. Ibi multitudo Saxonum baptizata est. Et secundum morem illorum, omnem ingenuitatem, & alodem manibus gurgierunt (id est, abdicarunt) Si amplius immutassent secundum malam consuetudinem eorum: Sed semper erunt in fidelitate Regis *Caroli*. *Cannifius* Tomo III. *Lectio*num antiquarum, in *Chronico* vetusto: Saxones *perterriti*, ad locum, ubi *Lippa* oritur, venerunt: Ibi se, suamque patriam Regi tradiderunt. Et spondederunt, se Christianos esse debere. &c. *Sigebertus* *Gemblacensis* ad Annum 777. Saxones baptizati paciscuntur, ut ingenuitatem, & omnia sua perdat, si unquam à fidelitate Christi, & Regis desistant. &c. Conferatur *Gryphiander* de *Weichbildis* Saxoniciis, Cap. 24. Num. 15. & seq. Probabile igitur, imo certum videtur circa illa tempora, nempe post Annum Christi 777. multas ejusmodi Chartas ingenuitatis pro fidelibus Saxonibus praesertim primi ordinis, id est *Truthmannis*, scriptas fuisse. Quarum unum exemplar, & formulam generalem nobis conservavit urbs celeberrima imperialis *Tremoniensis*: Cujus incolae five eives, cum forte vocabulum *Truthmanni* in Diplomate reperirent; Vim vero, & sensum ac mentem vocabuli ac Diplomatis non intelligerent, putarunt, à vocabulo *Truthmanni*, nomen urbis suae fuisse derivatum. Id olim ideo fiebat, qui omnia, quae antiqua videri volebant, ad *Carolum M.* referebant. &c. De origine vocabuli *Tremonia*, sive *Dortmundia* videatur omnino *Gerardus Mercator* in *Atlante minore*, ubi de *Westphalia* agit, pag. 384.

Primo concludimus igitur, evidentem chartam illam *ingenuitatis Truthmannianam* esse generalem, non specialem, uni alicui viro, sive Comiti, *Truthmanno*, proprio nomine appellato; Sed omnibus fidelibus Saxonibus, id est, *Truthmannis* praesertim primariae nobilitatis, & ordinis, qui se in fidem Christi, & *Caroli Magni* tradiderant, atque ipsius imperio & *Clementiae* subjecerant, post Annum Christi 777. concessam, & in villis *Truthmannorum*, id est, fidelium Saxonum datam.

Secur-

Secundo. Et consequenter gravissime errare eos, qui hanc *Chartam* pro speciali quodam Privilegio & Diplomate Carolino accipiunt; Utpote cum omnes fideles Saxones præcipue Comites, & iudices similem ingenuitatis Paginam pro sua securitate, & protectione Regia reciperent, uti ex similibus antiquis chartis apparet.

Tertio. Falli, ac fallere eos, qui Dordmundiam, sive ut inepte scribunt & detorquent, à villa *Truthmanni* dictam putant. Cum plures ejusmodi villæ *Truthmannorum* fuerint passim in antiqua Saxoniam sive Westphalia: Et in Charta illa, verbis: Actum in villa *Truthmanni* feliciter, Amen; supplendum sit: In villa *Truthmanni* N. N. sive illa & illa; Uti in formulis Marculphi tales lacunas sic suppletas videmus. Quia infinitæ tales villæ fidelium Saxonum, sive *Truthmannorum* in Saxoniam exstiterunt; Uti supra dictum, & probatum est. Atque etiam abunde ex Tractatu Meibomii senioris de pagis Saxoniam & ex capitulatione bina Caroli M. de partibus Saxoniam apparet. Conferatur omnino Gerardus Mercator in Atlante minore pag. 384. de Westphalia ubi longe aliam nominis Tremoniam originem & derivationem adducit. &c.

Quarto, Dordmundiam potius à quovis alio vocabulo esse derivandam, quam à villa *Truthmanniana*; Sicuti ex varia scriptione, & nomenclatura nominis *Tremonia*; vel *Dordmundia* apud Meibomium in notis ad *Widekindum* Monachum Corbeiensis manifeste apparet. Addatur Stangefolius in annalibus circuli Westphalici Libro 2. Cap. 90. 103. & 113. verbis; pag. 103. Anno Christi 801. Indictione IX. Carolus M. ut ait Chronicon Tremonienſe, in loco, ubi ab antiquo castrum *Munda*, cum veteri ac novo pago constitit, civitatem Tremonienſem condere incepit. Hinc versus:

Turribus armato munita Tremonia vallo,

A pagis ducit nomina certa tribus.

Nihil ibi de villa *Truthmanni*, nihil de charta ingenuitatis *Truthmanno* Comiti concessa; Et inde derivato vocabulo, *Truthmannia*. Quod otiosorum ingeniorum potius lusus est, & commentum; quam verum & solidum cognomentum; & ethymologia nominis, sive derivatio.

Quinto exinde colligimus, quam graviter sæpe labantur, & peccent viri alias solide eruditi, dum postremi, præcedentes absque discrimi-

discrimine, & iudicio atque solido examine sequuntur. Unde recte dixit Gryphander: Nulli Historico, de rebus à sua, & hominum memoria, & ætate remotis, nisi ex certa scientiæ causâ scribenti, temere esse credendum. Et Laurentius Valla, in declamatione contra donationem Constantini M. Qui de superiore ætate Historiam textit, aut Spiritu Sancto dictante loqui; Aut ejus ævi scriptorum autoritatem & Testimonium sequi, & clara ac diserta verba allegare oportet. Quæ utinam attendissent, atque adhuc hodie dum attenderent viri eruditissimi; Sane tam graviter in rebus à sua ætate & memoria remotis non laberentur, neque errarent.

Sexto exinde ad oculum patescit, quam necessaria adhuc sit solida veritatis inquisitio, in rebus ejusmodi antiquis, quæ communiter à vulgo eruditorum pro certissimis, atque indubitatis habentur. Item quam necessaria, utilis, atque jucunda simul sit rerum patriarum antiquarum solida & vera cognitio, & quam multa adhuc passim reperiantur in rebus nostratibus antiquariis, & historicis Patriæ nostræ Westphaliæ, quæ ulteriorem inquisitionem, & examen veritatis merentur: Quæ facillime ex indubitatis documentis possent erui, & illustrari; modo Mecanates & Patroni non deessent; qui Archivorum arcana referarent; Et ea subsidia subministrarent; quæ alii Europæ populi moratiores atque doctiores ejusmodi viris eruditis subministrare solent: Nempe libros & sumptus ad Bibliothecam & edenda opera necessarios; sine quibus nihil solidi quisquam efficere potest.

Secundo recte, ni fallor, concludimus ex charta hac ingenuitatis, sive Diplomate Carolino, gravissime errare atque hallucinari illos, qui falsimonie hanc chartam accusant: Et Carolum M. Saxones omnes antiquos sive Westfalos in gravissimam redegisse servitutem, contra fidem & Testimonium omnium veterum documentorum, chartarum, & scriptorum falsissime asserunt. Inter quos præcipuo loco numerandus Gryphander, Tractatu alias satis erudito de Wechbildis Saxonici, Cap. 55. Num. 8. & seq. verbis: *Quamvis vero Diploma aliquod Carolinum, de institutione primi Comitatus in Westfalia proferatur, in quo Truthmannus comes à Carolo M. ordinatur, ut resideat in curte ad campos in mallo publico, ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda: Isque Advocatum in*

tota Saxonia fideliter agat. Superque vicarios, & Scabinos, quos sub se
 habet diligenter inquirat. &c. Tamen illud suspectum videri dixi-
 mus Cap. 33. Num. 5. Cum Anno dati Diplomatis 788. Saxones
 nondum devicti essent. Quod tamen illic pro vero, & certo præ-
 supponitur. Sed & formula, qua Diploma illud utitur, in aliis quo-
 que litteris reperitur; Ut inde desumpta esse videatur. Ita enim
 legitur in antiquitatibus Alemannicis Goldasti Tomo 2. Cap. 99.
*Cum resideret Ulfredus, vir illuster, Ratiarum Comes, in curte, ad cam-
 pos, in mallo publico, ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia
 terminanda. &c.* Plures ejusmodi formulæ reperiuntur apud Mar-
 culphum & Bignonium in notis. Item in capitalaribus Regum
 Francorum, & aliis antiquariss, ac Glossarii, Spelmani & du Fresne,
 voce *Mallus, Mallum*. Sed inde non sequitur, confictam esse hanc
 Chartam Truthmannianam. Quia illo ævo nihil fuit frequentius,
 quam ejusmodi Chartas ingenuitatis concedere viris illustribus.
 Uti ex Diplomate Goldasti apparet. Capite deinde 33. Num. 3.
 & seq. scribit Gryphiander: Eiusdem generis videtur esse *Diploma
 Carolinum* Ecclesiæ Bremensi concessum, (adde Truthmanno Co-
 miti datum) nempe *fictitium*, & *adulterinum* quia non solum mani-
 feste falsa continet; Sed etiam ara, sive Annus Christi appositus 788.
 narratis, temporique adversatur. Ut propterea nullum ipsi locum
 inter Diplomata Hamburgensis, & Bremensis Ecclesiæ à se edita
 concesserit; Sed recte id omiserit Erpoldus Lindenbrogius in scrip-
 toribus Septentrionalibus. Præterquam enim, quod veri simile
 non est, Imperatoris *Scriniarios* sive Cancellarios, & Secretarios,
 Diplomati publico res falsas inserturos fuisse: Etiam quatuor alia,
 & fortasse plura ejusmodi Diplomata Carolina reperiuntur; In qui-
 bus sicuti unum & idem exordium, de *Libertate Saxonia*, ac res ejus-
 dem fere tenoris continentur. Ita eadem subscriptio, & Epochæ
 apposita est, Annus Christi 788. Nisi quod Verdense biennio an-
 tiquius. Ut facile appareat, unum ex altero ex scriptum esse. De
Truthmanniano vero Diplomate ejusque falsimonia, speciatim ita
 scribit: Unum datum *Truthmanno Comiti*; Quod ex Archivis Ci-
 vitatis Tremoniensis retulit Henricus Meibomius in notis ad Wit-
 chindi annales. Alterum Ecclesiæ Verdensi prætense datum. Ter-
 tium de Tribus Provinciis *ridicule indigitavit Goldastus*,

Tomo 3. constit. Imperial. pag. 137. Quibus addimus quartum, ex Henrici Wolteri manuscripto codice, qui existat in Bibliotheca illustris Comitis Oldenburgici. Quod Diploma cum illo Adami Bremensis, in exordio quidem, de Libertate Saxonie, verbotenus congruit: In cæteris plane discrepat. Falsitatem vero illorum Diplomatum ibidem latius ostendere conatur, his verbis: Quomodo potuerunt illis annis fundari Episcopatus; Cum bellum illic vigeret crudelissimum: Saxonibus fidem Christianam pertinaciter recusantibus? Quomodo ergo in chartis illis Anno 788. datis; Adeoque in medio belli fervore, gloriari potuit Carolus: Saxones à se penitus devictos esse? Quomodo in Provinciam redacta fuit Saxoniam, pro qua adhuc, ne Provincia fieret, mascule pugnabant Saxones? Quomodo dominium Saxonie Clero donari potuit, quod necdum habebat Carolus? Qui nec prodigus de suo; Nec liberalis de alieno esse consueverat? Quomodo pacis cum Saxonibus initæ, rerumque quindecim post demum annis gestarum mentio fieri potuit? Nisi fortasse Carolum M. vatem ac rerum suarum præcium fuisse dicamus? Quomodo prima esse posset Ecclesia Osnabrugensis si vel Verdensis vel Bremensis Ecclesie octodecim, vel sedecim annis ante fundata fuissent? Videantur plura Argumenta ibidem.

Atque in fine capitis tandem sic concludit: Itaque hæc una & vera est responsio: *Omnia illa Diplomata supposititia; unumque ex alio ex scriptum esse. &c.* Pro quo facit, quod scribit Vignerius: Carolum Crastum primum omnium Imperatorum Germanicorum existisse, qui suis libellis, Epistolis ac Diplomatum, Annos Christi addiderit. Ab eoque exemplum desumptum fuisse; Cum priores secundum indictiones, annosque imperii numerarunt. &c. Addit ibidem supposititia ergo anteriora Diplomata esse oportet; Quæ æra, sive numeratione Annorum Christi sunt insignita. &c. Hætenus Gryphiander.

Sed facilis est responsio: Nam plures eruditi ante me docuerunt, numerum Annorum Christi jam tum priorum Cæsarum ac Regum Diplomatum fuisse additum. Videatur Schatenius Historie Westfalice Lib. VIII. pag. 539. ubi ad hoc dubium pridem ei motum sic respondet: Annum hic denuo incarnationis adscriptum legis. Quem multo testatius ex Autographo Carolini Diplomatis

Wer-

Werthinenſis cœnobii dabimus. Quanquam illud longe illuſtrius: Conſpici hic eandem ſcribendi formam debellatæ à ſe *Saxonis*; Chriſtoque pro amore ejus oblatæ, qua Verdenſe, & Bremenſe Diploma repræſentat. Ut vel ex hoc fides illis aſſerta ſit, omnia hæc ab uno Carolo fluxiſſe. Saxoniamque votivo dono Tributariam factam, haud alio, quam per decimas Episcopis & Sacerdotibus assignatas; Antequam integre debellatum foret. Hactenus Schatenius. Conferatur *Mabillon* de re Diplomatica; Et Papebrochius atque Henchenius in Actis ſanctorum. &c.

Ad reliqua Argumenta reſpondeo, Carolum M. poſt Annum 777. & pacem Primam Paderbornæ cum Saxonibus initam, animo quidem deſtinariſſe, imo re ipſa, terminis ſuis deſignariſſe atque deſcripiſſe Eccleſias quasdã Saxonicas, ſpeciãtim Verdenſem, Bremenſem, atque Paderbornenſem: Sicuti patet ex ſcriptoribus ſupra allegatis, inprimis ex Translatione divi Liborii apud Adolphum Overhammium, in notis ad vitam Meinverci. Sed poſtea recrudescente bello Saxonico hæc Eccleſias rurius deſtructas, & à Saxonibus Rebellibus funditus everſas fuiſſe. Ideoque Osnabrugeniſem Eccleſiam Anno 800. Fundatam dici poſſe primam à Carolo quidem magno conditam, ſcilicet, quia priores deſtructæ, & everſæ fuerunt. Multos vero fideles remaniſſe Saxones poſt Annum Chriſti 777. & primam Pacificationem Paderbornæ ſancitam, ſupra probavimus.

Quod vero Carolus M. jam Anno 777. Univerſam fere Saxoniam bello, & Pacificatione jam tum ſubegerit, & in Provinciam, ac proprium quaſi Patrimonium, & Dominium redegerit, & jure belli occupaverit, ac ſuam fecerit, ſupra quoque ex ſcriptoribus coævis omni exceptione majoribus oſtenſum fuit. Quo lectorem curioſum remittimus. Quamvis enim Saxones quidam poſtea rurius rebellarint, certum tamen eſt, quam plurimos remaniſſe *fideles Saxones*, ſive *Truhmannos* appellatos; iisque *Chartas ingenuitatis*, quarum formulas ſupra memoravimus, à Carolo M. fuiſſe conſeſſas. &c. Nullius ergo ſunt roboris, atque ponderis Argumenta, & rationes, quas contra Diplomata prædicta aſſert Gryphander. Fallunt quoque & falluntur viri alias Doctiſſimi & Celeberrimi nominis, atque ad illuſtres dignitates evecti *Rhetius*, &

Coccejus, qui post Annum Christi 803. nempe post Pacificationem ultimam cum Saxonibus initam, totam Saxoniam inprimis Westfaliam in servitutem redactam, & in Provinciae formam commutatam, contra omnium scriptorum, atque annalium, nec non documentorum fidem & rei veritatem quamplurimis argumentis sane ficulneis & levissimis contendunt; Nescio qua invidia, & livore adversus inclytam nationem Westfalicam in transversum acti. Cum ex hac *Charta ingenuitatis* Carolina clarissime constet, & appareat, jam tum ab Anno 777. quamplurimos Saxones *fideles*, sive *Truhmannos* in fidem Regis, ac civitatem Francorum fuisse receptos. Quicquid obstreperet olores Libertatis Saxonicae antiquae, sive Westfalicae.

Inprimis vero illustris Dominus Rhetius Minister Status intimus olim Brandenburgicus, & Regis Borussiae, Libertatem Saxonum, praecipue Westfalorum, multis undique conquisitis, & partim ex Gryphandro desumptis Argumentis impugnat ex professio in Institutionibus juris publici Libro I. Titulo 2. Cap. 70. & sequens. Nos potiora ejus Argumenta delibabimus, & ex vetustis, & probatae fidei scriptoribus, & documentis solide, ni fallor, reputabimus. Ita vero scribit: *Saxones à Carolo M. subjugati, non alia conditione; sed servili prope sunt habiti.* Quod fufius deducit Lehmannus in Chronico Spirensi Libro 2. Cap. 20. Notabile vero est, quod ibidem addit: *Restituit quidem Carolus M. Rex, ce. ris quibusdam personis ingenuitatis jus.* Idemque *integris quibusdam Familiis fuisse donatum*, ex Rolevingio de Laudibus Saxoniae, Libro 2. Cap. II. probat Gryphander de Coloffis *Weichbildicis* Cap. 24. Num. 23. sed inde firmatur: *Quibus hoc non concessum, vel donatum, eos in servitute mansisse; vel saltem duriori conditioni fuisse relictos. &c.*

Respondeo ad Primum Argumentum: Fatendum sane, Saxones Rebelles sub initium belli Saxonici, & praesertim Anno 777. à Carolo M. subjugatos, & in servitutem plenariam fuisse redactos, per supra allegata ex scriptoribus & Annalibus coaevis, & indubitatis documentis: Sed Saxones *fideles*, id est, *Truhmannos* universos libertati sive ingenuitati pristinae post Pacificationem, & confederationem, nec non fidelitatem juratam per ejusmodi Instrumenta, sive Chartas ingenuitatis generales, & speciales fuisse resti-

tutos.

tutos. Sicuti manifeste apparet ex formula nostra fidelibus Saxonibus, id est *Truhmannis* in univcrsum, & speciatim data. Item ex Capitulatione 2da Caroli M. de Partibus Saxonie de Anno 797. In qua Saxones fideles interque eos Westfalahi, Ostfalahi, & Angrarii ad Comitua publica, & Conventus Regni Francici fuerunt vocati. Et ex Capitulatione prima, in qua manifeste, & disertim distinguitur inter Saxones fideles, & infideles. Videatur omnino Shatenius Historie Westfalice Libro 9. pag. 564. &c.

In Capitulatione Secunda Caroli M. de Partibus Saxonie sic notanter legitur: Anno *ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCXCVII.* (sive 797.) Regnante Domino Carolo, præcellentissimo Rege, *Convenientibus* in unum *Aquis Palatio in ejus obsequio Venerabilibus* Episcopis & Abbatibus; *Seu Illustribus viris* Comitibus V. Kal. Novemb. *simulque congregatis Saxonibus de diversis Pagis*, tam de *Westfalabis, & Angrivariis*, quam de *Oostfalabis*, omnes unanimiter *consenserunt, & aptificaverunt* (id est Ratificaverunt, sive ratum habuerunt, approbarunt, & concluderunt) ut de illis Capitulis, pro quibus Franci, si Regis *Bannum* (id est Edictum publicum pro bello gerendo) *transgressi sunt*, *Solidos LX.* componant, *similiter Saxones solvent*, si alicubi contra ipsos *Bannos* fecerint. Et in Legibus ipsis, *Lege I. si quis supra dicta VIII. Capitula transgressus fuerit*, omnes *statuerunt, & aptificaverunt*, ut Saxones *similiter sicut & Franci, LX. solidos* componant. &c.

Lege 2da ibidem reperitur: Item placuit omnibus Saxonibus, ut *ubicunque Franci* secundum legem *solidos XII.* solvere debent, *ibi nobiliores Saxones solidos XII. Ingenui V. Liti IV.* componant. *Ubi distinctionem ordinum Liberoꝝ contra servos* manifeste deprehendis.

Lege 3tia ibidem: Hoc etiam statuerunt ut qualiscunque causa. &c. Et quæ ibidem sequuntur.

Lege 4ta ibidem: Si quis de Nobilioribus ad Placitum Mannitus, (sive Citatus) venire contempserit, *solidos IV.* componat. *Ingenui II. Liti* (id est, Liberti, sive manumissi) *I.* *Ubi rursus manifesta distinctio inter Ordines; Nempe inter Libera, & servilis conditionis homines.*

Lege Septima ibidem inter Saxones fideles & infideles, five rebelles aperte distinguitur, verbis notandis: *Excepto, si talis fuerit Rebellis. &c.*

Lege 8va hæc diferta verba reperiuntur: *Item placuit una cum consensu Francorum & fidelium Saxonum. &c.* Ubi rursus inter Saxones fideles, & infideles manifeste distinguitur. In Capitulatione ada ibidem Lege X. five Capitulo X. Legitur: *Si quis Domino Regi infidelis apparuerit, Capitali sententia punietur.*

Lege XIV. ibidem: *de minoribus capitulis consenserunt omnes, Ad unamquamque Ecclesiam Curtem, & duos mansos terræ, Pagen- ses ad Ecclesiam recurrentes condonent. Et inter centum viginti homines, Nobiles, & Ingenuos; Similiter & Litos (id est, Libertos) Ser- vum & Ancillam eidem Ecclesie tribuant.* Ubi rursus manifesta distinc- tio, & differentia inter ordines, ac homines Liberos, & ser- vos. Quod discrimen non erat faciendum, si omnes Saxones in univertum servilis conditionis fuissent; Uti falso putat illustris Do- minus Rhetius.

Lege XVI. ibidem: *Similiter secundum Dei Mandatum præ- cipimus, ut omnes decimam partem substantiæ, & Laboris sui Ecclesiis & Sacerdotibus donent; Tam nobiles, quam ingenui: Similiter & Liti, (id est, Liberti, & Coloni five Lassi, ad agrum colendum relictæ) Juxta quod Deus unicuique dederit Christiano. &c.*

Lege XVIII. ibidem: *Et hoc statuimus, ut si quis infantem, in- fra Circulum Anni ad Baptismum offerre contempserit, sine Consilio five licentia sacerdotis, si de nobili genere fuerit CXX. solidos Fisco com- ponat. Si Ingenuus (id est, nobilis inferioris ordinis) LX. Si Litus, id est Colonus Liber, vel Libertus, XXX.* Ex quibus omnibus luce meridiana clarius apparet, *Differentiam Ordinum* inter *Saxones fideles* à Carolo Magno minime esse sublatam; Sed suum statum cuique relictum; modo Christo & Regi fidem atque obe- dientiam juraret, atque præstaret. &c.

Plures vero tum temporis in Univerfa Saxonia, five Wes- salia fuisse Comites, qui Advocatos Presbyterorum, & Sacerdotum agerent, apparet ex Lege XXVIII. ibidem, verbis: *Ut universi Comites pacem & concordiam ad invicem habere studeant. Et si forte in- ter eos aliqua discordia, aut Conturbium orum fuerit, ut nostrum Sola- rium, vel Profectum pro hoc non demittunt.* Epi-

Episcopus vero & sacerdotes majores Comitum aliqualem inspectionem, & moderationem habuisse, patet ex Lege XXXIII. ibidem, verbis: Interdiximus; Ut omnes Saxones generaliter Conveniunt Publicos nec faciant, nisi forte Missus noster, de verbo (id est, Mandato) nostro eos congregare fecerit. Sed unusquisque Comes in suo Ministerio Placita, & Justitias faciat. Et hoc à Sacerdotibus consideretur, ne aliter faciat. &c. Ex quibus iterum patet, plures Comites in univèrsa Saxonia fuisse, quam unicum illum fictitium *Trubrmanium* manifeste igitur falsum, & erroneum est, quod scribit Clarissimus Dominus Rhetius, certis tantum Personis; vel Familiis inter Saxones jura ingenuitatis fuisse concessa. Itemque omnes Saxones generaliter fuisse subjugatos, & in servitum in Universum redactos, paucis tantum exceptis. Cum ex allegatis Legibus clare appareat, universos fideles Saxones, qui sane quamplurimi erant, in Libertate fuisse relictos vel libertati post submissionem restitutos; Paucos vero Rebelles post Annum 803. in servitum perpetuam condemnatos. De quibus alibi latius diximus.

Nec obstant, Argumenta quæ in contrariam sententiam adducit; Dum §. 71. sic scribit: Neutiquam nos fugit, inquit, in contraria Sententia pene multos esse: Saxones nempe à Carolo M. non solum ab omni Tributo immunes redditos; Sed quoque à Francis civici, & Comitiorum juris participes factos esse. Inter quos Conringius, dissertatione de Civibus imperii Romano Germanici §. 27. ejusdem opinionis fuit. Idem sentit Brotaffius; Dum pag. 218. lam Carolum M. ab omni Tributo, & servitute, Saxones Liberos pronuntiasse: Ac *liberos Saxones, die freye Sachsen* / appellasse refert. Hunc secuti sunt Spangenbergius in Chronico Saxonice Cap. 86. Et Lindembrogius in Chronico Caroli M. pag. 218. Reineccius in notis ad Poëtam Anonymum Paderbornensem, sive Corbeiensem, ad Annum 803. Et in dissertatione de Originibus Saxoniciis. Item in Tractatu von des Adels ursprünglichen Herkommen.

In fidem assertionis, inquit Clarissimus Dnus Rhetius, probabilibus Argumentis utantur. Et (1.) Auctoritate antiqui alicujus Poëtae Paderbornensis Anonymi; Qui centum plus minus Anos, post Carolum M. Arnulphi Cæsaris avo vixisse fertur: Et à Rei-

à Reïnero Reineccio editus reperitur. (Editus item nuper ab illustri Dno Leibnitzio.) (2.) Deinde aliquot Diplomata antiqua, ex Archivis publicis deprompta, & præcipue Diploma Ecclesiæ Bremensis adducunt. (3.) Eginhardi verbis confidunt; Qui hunc in sensum de Saxonibus memoriæ prodidit: *Bellum Saxonicum eâ Conditione finitum esse, ut Saxones Christiani, & Franci adunati*; unus cum eis Populus efficerentur. Quæ confirmat Witichindus Monachus Corbeienfis, Libro I. Annalium Saxonicorum.

Quomodo vero hæc Argumenta refuïet sane videamus. Quibus ex facili assentiremur, inquit: Nisi Argumenta eorum vacillant. Nam (Imo.) Poëtæ illius Anonymi auctoritas omnino prima est, quæ in istum sensum potest adduci. Verum quoniam, uti supra dictum est, centum circiter Annos post Carolum M. vixit; Nec aliquod assertionis suæ fundamentum, vel testem laudat, merito videtur esse suspectus. Præsertim, quoniam dissentientes omnes fatentur, Francos in Saxones eandem severitatem exercuisse; Ac erga devictos alios. Illis igitur, qui Carolum M. Saxonibus Liberius indulgisse reliquis asserunt, probandi officium incumbit. Hactenus illustris Dominus Rhetius.

Sed responsio in promptu est: Gravissime nempe contra omnem Historiam, & fidem scriptorum æqualium ac Documentorum antiquorum peccare Dominum Rhetium, dum inquit: Poëtam Anonymum esse omnino primum qui absque coævô Teste de Libertate Antiquorum præsertim Saxonum mentionem injecerit. Nam Contrarium omnino verum, & manifestum est ex ipsô Poëtâ Anonymo ad Annum 803. quem si inspexisset Clariss. Dnus Rhetius, nunquam talia scripsisset: Verba Poëtæ Anonymi apud Clar. Dnum Leibnitzium in scriptoribus Brunsvicensibus sic habent:

*Nobilis hic Annus longi Certamina Belli
Tandem Saxones inter Francosque peracti
Firmo perpetuæ conclusi fœdere Pacis
Augustus Pius ad sedem Saltz nomine dictam
Venerat. Huc omni Saxonum nobilitate
Collecta: Simul has Pacis leges interunt;
Ut toto penitus cultu, ritumque relicto
Gentili, quem Damoniacâ prius arte colebant*

Deca-

Decepti ; posthac fidei se subdere vellent
Catholica, Christoque Deo seruire per avum.
At vero consensum Francorum Regibus nullum
Solvete nec penitus deberent, atque Tributum.
Cunctorum pariter statuit sententia concors:
Sed tantum decimas, Divina lege statutas
Offerrent, ac Prasulibus parere studerent:
Ipsorumque simul Clero, qui dogmata sacra
Quique fidem Domino placitam, vitamque doceret.
Tum sub Judicibus, quos Rex imponeret ipse
Legatisque suis permisi Legibus uti
Saxones Patriis, & Libertatis honore.
Hoc sum postremo sociati foedere Francis
Ut gens & Populus fieret concorditer unus,
Ac semper Regi parens aequaliter uni. &c.

Id vero non absque teste, & vadimonio scripsisse Anony-
num testatur ibidem verbis disertissimis in hunc modum:

Si tamen hoc dubium cuiquam fortasse videtur,
De vita scriptum Caroli legat ipse libellum.
Quem Francos inter Clarus, veraxque relator,
A summo prudens Einhardus nomine scripsit.

En testem, & vadem omni exceptione majorem, qui iis tem-
poribus vixit, & vidit omnia quæ Carolus M. contra Saxones ges-
sit. Quomodo igitur Clar. Dnus Rhetius scribere potuit, quod
Poeta Anonymus nullum fide dignum testem laudet, cum ex-
presse & disertim alleget Eginhardum Caroli M. scribam, & Can-
cellarium summum. Quo Teste, majorem laudare non potuit.
Quo in loco rursus reprehendenda est Jctorum nostrorum supina
negligentia, & crassissima ignorantia in Historiis antiquis: Qui
cum ipsi Auctores veteres non inspexerint; Et alienis oculis vide-
ant, ac alienis manibus, & opera libros conscribant, nihil mirum
est, tam graviter & enormiter peccare, contra fidem omnem Hi-
storiarum, & verba ipsissima scriptorum coævorum; Multum igi-
tur interesse puto, utrum propriis an alienis oculis libros antiquos,
& scriptores veteres legamus. An fidem habeamus nostri ævi
Historicis & Jctis, qui obiter hosce libros inspexerunt. &c. Ut-

pote qui indignum quasi judicant sua majestate granditate, atque magnificentia ut ita Ironice loquar, hosce libros propriis oculis inspicere. &c. Unde evidenter patet, quam inepte & imperite ibidem scribat Clariss. Dominus Rhetius §.74. Auctoritas eorum, qui hunc Poetam Anonymum sequuntur, non prodest. Cum non raro, in rebus à memoria sua remotis, auctores se invicem sequantur: Nec habuerint unde errorem corrigere valerint. Quod Crantzius observavit, inquit, qui nostra tempora, quibus multa monumenta deecta sunt, feliciora pradicat. &c. &c.

Si Clarissimus Dominus Rhetius Monumenta Paderbornensia, & ibidem Capitulationes binas de partibus Saxoniae, item Eginhardum, & Poetam Anonymum propriis oculis inspexisset; Et illorum documentorum, & scriptorum coævorum contextum, & verum sensum recte cognovisset, & considerasset, sane longe aliter de libertate antiquorum Saxonum sentiisset.

Quod vero ne Eginhardum quidem de vita Caroli M. & similes coævus scriptores propriis oculis inspexerit; Vel misere & fraudulenter, ac malitiose detorserit, patet ex verbis sequentibus. §.74. *Eginhardo in ejus aevi historiis multum tribuimus: Et oculari in plerisque & ingenio testi.* Verum illius non is, quem volunt; sed longe alius in supra citatis sensus est. Afferit: Saxones Christianos factos; Et Francis adunatos, unum cum iis populum factum esse effatur. Sed numne unus cum istis populus fieri non potuerunt, licet non juris civitatis, una cum ipsis fuerint participes: Et quamvis durioribus conditionibus hisce sint habiti? &c. Sed inspiciatur Eginhardus de vita Caroli M. Utrum hæc verba recte & sincere sint allegata? Vel utrum saltem vera, & legitima eorum interpretatio facta esse videatur. Verba sunt clarissima, & discretissima: *Eaque conditione à Rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum: Ut abjecto Damonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Christiana fidei, atque Religionis Sacramenta perciperent: Et Francis adunati, unum cum eis populus efficerentur.* &c.

Eadem fere verba, vel saltem sensum eorundem repetit Witekindus Monachus Corbeiensis Libro I. de gestis Saxonum, dum scribit: *Igitur Saxones, variam fidem Francorum experti, de quibus nobis non est dicendum, quomodo in eorum gestis inveniantur scriptum, paterno*
errore

errore obligati, usque ad tempora Caroli Magni perdurabant, Magnus vero Carolus, quum esset Regum fortissimus, non minori sapientia (pro eorum salute, & subjectione) vigilabat. Enim vero considerabat, quia suis temporibus omni mortali prudentior erat, finitimam gentem, nobilemque, vano errore retineri non oportere; Ideoque modis omnibus satagebat, quantum ad veram viam duceretur: Et nunc blanda suasionem, nunc bellorum impetu ad id coegit. Tandemque Trigesimo imperii sui Anno obtinuit. Imperator quippe ex Rege creatus, quod multis temporibus efficere non potuit, tandem elaborando effecit. Ob id, qui olim socii, & amici erant Francorum; Jam fratres & quasi una gens, ex Christiana fide, veluti modo videmus, facta est. &c. Ex quibus locis abunde apparet, quam subdole, vel potius imperite plerumque allegentur auctores ab iis, qui ipsa loca non inspexerunt; Sed sibi ab aliis imponi passi sunt. &c.

Porro argumentatur, vel arguitur potius Clariss. Dnus Rhetius ab Tributorum exactione, Saxonibus quoque imposita: Quasi non & ipsi Francorum populi Tributis, & servitiis omnigenis tam in bello, quam pace obnoxii fuerint: Et quasi non Libertas Civilis & Politica, sive Publica ut loquitur Grotius, cum servitute Tributorum, & onerum publicorum subsistere, & consistere possit? Quia alias omnes populi in universo terrarum orbe servi, ac mancipia forent. Verba Clariss. Dni Rhetii sunt sequentia. *Accessant quoque exempla; Quod nec integra Saxoniam libertate; Nec immunitate Tributorum donata sit. Videri eorum exemplorum non pauca sunt apud Gryphyandrum, Tractatu de Weichbildis Saxoniciis. Cap. 24. & 25. &c.*

Respondeo: Verissimum esse: Tributa quadam, & onera publica Saxonibus, uti & aliis populis liberis, imo Francis ipsis relicta, & imposita fuisse, v. g. *Jus Decimarum, jus sequela in bellis, &c.* Sed hoc Politicæ & Civili Libertati nihil præjudicat. An vero tota Saxoniam nostra omnibus Tributorum oneribus præter decimas Sacerdotibus debitas exempta fuerit, egregie inter alios examinat & decidit doctissimus Jesuita Nicolaus Schatenius Libro VIII. Historiæ Westfalicæ pag. 522. verbis: *Utrumne vero Carolus M. per totam Saxoniam intra Dioecesium tantum limites decimas imperavit, haud ita facile dixerim. Nec tamen ideo Saxoniam ab omni alio Tributo,*

buto, atque onere immunis fuit. *Quae enim bello subacta regna, & provincia, iis annum Tributum imperatum.* Quemadmodum Julius Cæsar devicta Gallia, ac cæteri Cætares debellata Belgia, & Germania, id pro belli necessitate exegere. *Nec enim quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis; Neque stipendia sine Tributis haberi queunt.* Ut cum Tacito nostro loquamur. &c. Rectissime vero ibidem addit prædictus Schatenius pag. 522. *Neque Carolus M. tanto longo & arduo bello victos Saxones liberiores esse voluit, quam ipsi Franci censerentur.* Hoc Heribannum, hoc tot Caroli M. *Leges, hoc Regni Fiscus, qui multis Tributis, & Væligalibus constabat, restantur.* Jamque eo processerat Caroli Imperium, ut ad omnem etiam belli expeditionem Saxones non minus, quam ceteri Regni Francici populi ex imperio Regis evocarentur. Uti bello superiore adversus Thassilonem Saxones, cum Orientalibus Francis exciti. *Tenuit hoc Tributis, & Francici Imperii onus ad Henricum Aucupem; Postquam Caroli M. stirpe extincta, is primum Saxoniam prorsus Liberam fecit; Et quam quisque Regum beneficio habebat Provinciam, eam una cum cæteris hereditario jure possidere cepit.* Hactenus Schatenius. Penfitatio igitur tributorum libertati civili populorum minime officit. Quod disertim probat Grotius in libris de jure belli ac pacis. &c.

Nec obstat, quod servitus illa hominum propriorum sive rusticorum & litorum nostrorum à Carolo M. in Saxoniam nostram antiquam, sive Westfaliam, primum inducta, vel saltem in immensum aucta legatur. Servitus enim illa privata personalis & particularis populorum & Reipublicæ juribus ac privilegiis uti diximus in univèrsum non præjudicat. Deinde minime verum est, Carolum M. servitatem hominum propriorum primitus in Saxoniam nostram induxisse; Quia ex Tacito de moribus Germanorum Cap. 25. notum est; ab omnibus retro antiquissimis temporibus, servos, sive potius colonos, id est, homines servilis & obnoxie conditionis in Saxonia nostra fuisse. Recte igitur ibidem quoque Schatenius insignis Jesuita: Sed & præter tributa alia per Saxoniam servitus in certo hominum genere; Nam supra *Adelingos, Frisingos, & Frilassos*, qui liberorum hominum genera sunt, etiam *Lassi*, qui ad colendos agros relictæ, & servitute quadam obnoxii fuerunt; Etiam ante Caroli M. bella, ut quidam tradidere. Inter-
que

que eos Rolevingius de laudibus antiquæ Saxonie Libro 2. Cap. II. Reputanturque à multis inter eos, qui passim in omnibus litterarum monumentis, *Liddones, Lids, Litones, & Liti*; ac patria voce, *Lendi, Leuse* nuncupantur. Homines videlicet postremæ fortis, qui aut ita nati, sive *Originarii*, aut ultro se in servitutem dedidere, sive *Voluntarii* servi. Uti hæc supra à nobis relata sunt, ait Schatenius. Ubi porro notanter ad scopum nostrum, & propositum addit: Carolus M. Etsi Saxones omnes pristinae libertati se reddidisse pronunciet; Id tamen servitutis genus adeo non imminuit, ut vel maxime intendisse feratur. Cum primis in *Westfalia*, quam gentem reliquis magis perfidam, & rebellem erat expertus. Nimirum, ut quibus perniciosâ erat libertas, his servitus foret salutaris, ad Christi legem accipiendam. Hactenus Schatenius. De origine vero hujus servitutis colonariæ, ut ita loquar, Auctores diversi sentiunt. Nam aliqui etiam inter nostros servitutem hanc colonariam denuo tempore Caroli M. ortam fuisse arbitrantur; Quod tamen secus est, uti supra docuimus. De hac sententia ita Schatenius ibidem: Aliam nobis hujus servitutis causam reddit *Hemicus Hervordensis* præclarus inter nostros scriptor, quod & Auctor Chronici Mindensis retulit: Westfali nimiram toties rebelles, cum armis ad obedientiam compelli non possent, Carolus seu post excisam toties gentem; Seu post aliquot millia Westfalorum trans Rhenum deportata, dispersaque per alias Franciæ Provincias; in vacuos eorum agros, traduxit incolas ex *Francia Eistia, Hasbania, Ardennea*; aliisque locis; Terramque Westfalorum eis perpetuo occupandam tradidit: Ea tamen lege, ut agrorum possessiones ac jus bonorum maneret penes Episcopos, aut Regem, Regiosque ministros. Pergit ibidem Schatenius: Et Caroli M. justitiam in subacta plebe, Westfalica prædicat hoc modo: Justa à Carolo M. dictata poena, ad quam se ultro prædamnarant; Quippe toties victi, toties jurarant, omni se se libertate, & ingenuorum jure exoneret Carolus, si fidem denuo fallerent; Quibus tamen nihil fallacius fuit. Libertatem igitur his Carolus ademittit: Ingenuis vero reliquit; Certisque legibus & oneribus, quamvis duris dominis suis subjecit. Hi nunc *Originarii* passim *Coloni* dicuntur; Censenturque hanc servitutem inde trahere; Longe interim diversi ab aliarum gentium

Mancipiis; Cum propria *prædia*, agrosque retineant; Ex quibus *frumentum* annuum, pecora, & cenlum pendunt. &c.

Hucusque Schatenius. Quamvis vero promiscua plebs Saxonia & Westfalie nostræ ita à Carolo M. in ordinem, & servitutem redacta fuerit; Exinde vero non consequitur, integram Rempubli- cam Saxoniam, vel optimates in servitutem universalem esse redactos. Nec obstat, quod Saxonia in Provincia formam redacta legatur. Vide Sigonium de jure antiquo Provinciarum Italiae. Et Rosinum antiquit. Romanarum, Libro X. Cap. 22. Hanc vero servitutem Colonariam in Westfalia postea à Ludovico Caroli M. filio multis modis fuisse mitigatam, & restrictam, ibidem tradit Schatenius pag. 523. verbis: Multum ab his oneribus remisit Ludovicus Pius: Ita enim Auctor vitæ ejus: *Saxonibus, atque Frisonibus jus paterna hereditatis, quod sub patre ob perfidiam legaliter perdididerunt, Imperatoria clementia restituit. Quod alii liberalitati: Alii improvidentia assignabant: Eo quod hæc gentes naturali feritati assuescæ, talibus habentis deberent coerceri. Ne scilicet effrænes in perduellionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eo sibi arctius eos vinciri ratus, quo eis majora & priora beneficia largiretur, non est spe sua deceptus. Nam post hæc easdem gentes sibi devotissimas habuit. &c.*

Ex quibus Schatenii verbis colligimus, quomodo intelligendus sit ille locus scriptoris vitæ Ludovici Pii, qui mirifice torfit Auctores, qui pro libertate Saxonum scripserunt. Inter quos est celeberrimus Conringius, dissertat. de urbibus Germanicis §. 65. & Clarissimus Dnus Pottgiesserus in egregio libello de Statu & conditione servorum apud Germanos tam veteri quam novo. Libro I. Cap. 2. §. 35. pag. 52. Commodè enim intelligitur de infidelibus Saxonibus, qui demum tempore Ludovici Pii jus paterna hereditatis receperunt; postquam fidelitatem, & fidem Christianam jurassent. Fideles namque Saxones jam Anno 803. per Carolum M. pristinae libertati & ingenuitatis juribus, ac privilegiis fuerant restituti, uti ex hac charta immunitatis universali, quæ Carolo M. post fidelitatem juratam Trutmannis, id est, fidelibus Saxonibus in universum concessa fuit, manifeste apparet.

Nec officit porro, quod Carolus M. universam Saxoniam in Provincia formam redegit credatur, & legatur. Quod ex antiquis

quis documentis probat Schatenius dicto loco pag. 518. verbis: Juvat hic disquirere, utrumne Carolus M. Saxoniam à se debellatam in Provincia formam redegerit; simulque inter Episcopos diviserit? Id quidem in annalibus Francorum; inquit Schatenius, quibus una semper meta fuit brevitatis, non tam plane proditum est, perinde ut de Regno Longobardorum, & Bojoaria, victo Desiderio Rege, & Thassilone Duce, tenemus. Nihil interim certius, postquam Saxoniam in unum Regni corpus, unumque populum traducta ab Eginhardo traditur, Frisiam, & Saxoniam Carolus haud aliter, quam suas aestimavit provincias. Atque id est, quod tam explicite Carolus M. in Verdensi, & Bremensi Diplomate contestatur: *Se more Romanorum Saxoniam in Provinciam redegisse; ac certis limitibus inter Episcopos determinasse.* Diplomatis vero Trutmanniani disertim meminit ibidem his verbis: *Quemadmodum hoc ipsum, in diplomate Comitis Trutmanni, quod modo referam, & ex eo, quod de Tributis Provinciarum Carolus sanxit; Et quod ex Bibliotheca Oldenburgensi producitur, confirmatius assertum est.* Ideo à Carolo M. Duces, qui militiae praesent; Comites, qui jus dicerent; Praefecti arcium Castellorumque Saxoniae impositi: Ideo extra ordinem legati, quos missos dixere, in provinciam cum suprema & vicaria potestate missi: Ideo *judices certi, Scabini, Centenarii*, aliique Ministri additi. Quod facile intelligunt ii, qui Capitularia Caroli M. tot Legum libros digesta; Qui & Diplomata Episcopatum, Coenobiorum, & Ecclesiarum pervolverunt: Quibus immunitas, & exemptio datur, *ne quis Dux, Comes, Judex aut Regius Minister, quicquam sibi in eorum subiectos homines, bona, & possessiones vendicet: Quae gratis praescriberentur, nisi jam à Carolo M. his Ministris Regis impositis, Saxoniam ad Regni Francici modum in Provincia formam redacta fuisset.* &c. Exempla ejus rei recenset ibidem in hunc modum: Ex his Westfalia producit *Egbertum Duce* suum D. Idae conjugem. Et Marchiam *Trutmannum* Comitem, qui in mallo publico, seu judicio ad universorum causas audiendas in villa Tremonienfi consideret: Advocatumque omnium sacerdotum se in ea Regione ferret. Id vero *Diploma* cum Anno ab hinc proximo, nempe 779. à Carolo M. sit datam, argumento est, jam *Westfaliam in Provincia formam esse redactam.* &c. Haec, verissime Schatenius. Haec,

Hæc, inquam, non obstant. Nam redactio in formam provinciarum, & subiectio illa civilis & politica, non statim inducit formalem, & veram, ac perfectam servitutem; *Uti Grotius de jure belli & pacis non uno loco ostendit. Inprimis Libro 2. Cap. V. §. 26. & seq. ubi distinguit inter subjectionem privatam, & publicam. Servorum & colonorum privata subiectio est; subditorum publica. Item distinguitur inter servitutem perfectam, & imperfectam. &c. Diffidendum quidem non est, populos in provinciarum formam redactos, subire servitutem quandam, sive subjectionem civilem; Ideoque jus civitatis pristinae amittere. Vide eundem Grotium, ibidem, §. 31. verbis: Publica subiectio est, quæ se populus homini alicui, aut pluribus hominibus: Aut etiam populo alteri in ditionem dat. Sed hæc perfecta subiectio est, inquit. Sunt & alia minus perfecta, aut habendi modo; Aut quoad imperandi plenitudinem. &c. Et Libro 2. Cap. 9. §. 6. species reipublicæ sive civitatis interit, sublata aut omni, aut perfecta juris communiõne; Sive singuli personalem quoque servitutem subeant; sive ea retenta imperio exuantur. Ubi notanter addit; Idem dicendum de populis, in provincia formam redactis. Item de his, qui alterius populi ditionem subjerunt. Hactenus disertim Grotius. Conferatur omnino Sigonius de antiquo jure provinciarum. &c. Et ex eo Rosinus Antiquitatum Romanarum Libro X. Cap. 22. Quæ sint coloniarum, municipia, præfecturæ fora; Et quæ inter ea differentia? Item quid sit provincia? Ubi latissime differentiam inter statum provinciarum deducit.*

Sed facilis & in promptu est responsio. Subjectionem illam civilem saltem imperfectam, & minus veram ac plenam servitutem dici posse: Nisi omnes populos in universo terrarum orbe servos facere velimus. Deinde ex conditionibus pacis cum Saxonibus initæ apud Eginhardum, & poetam anonymum manifestum est, populum Saxonicum plenam servitutem, & subjectionem minime subivisse; Sed eam imperandi plenitudinem multis modis restrictam, & populum Saxonicum quoad præmia sive munera Reipublicæ & pœnas, ac multas pecuniarias populo Francico in omnibus, & per omnia coæquatam & parem reddidit fuisse. Vide capitulationes binas de partibus Saxoniarum. Illa vero coæquatio sive participatio jurium communium libertatem potius, quam servitu-

vitutem importat. In eo enim consistit omnino jus ac Libertas Civitatis, & Republicæ; Ut cives omnes communibus juribus, ac privilegiis utantur fruantur. Vide eundem Grotium Libro 2. Cap. 9. §. 6. & passim. Si igitur Saxones nostri servi veri & perfecti dicendi forent, quod Francorum imperio subiecti fuerint: Omnes omnino Germaniæ & Galliæ populi servi appellandi forent. Quod est absurdum. &c.

Abiurda igitur, inepta ac futilia sunt argumenta, quæ Auctores quidam, non minimi subsellii contra Libertatem Saxonum, & præsertim Westfalorum in Universum proferunt. Imo omnia antiqua monumenta & scriptores cœvi contrarium testantur, & persuadent. Adeo ut mirari subeat viros adeo doctos, & præclaros qualis est illustris Dnus Rhetius, & Celeberrimus Dominus Coccejus, in re tam manifesta, & clara adeo cæcutire atque hallucinari potuisse. Verum, ut quod res est dicam, Isti illi nostri, & Doctores Juris Civilis Romani alienis semper oculis hæc monumenta antiqua inspiciunt & indignum sua Majestate, & dignitate arbitrantur, ejusmodi Auctores Barbaros, & semi rosas chartas ac rancida Diplomata propriis oculis intueri, evolvere, & multa cura verum & rectum sensum indagare. Inde est, quod in errores tam crassos, & deliros persepcebantur. Quantis vero erroribus Doctores Juris Civilis Romani ob eam causam obnoxii sint, docet nos proprio exemplo illustris Dnus Rhetius, dum scribit §. 85. Decimas quoque Ecclesiasticis in Saxoniâ unice consecrassè Carolum M. non poterit verificari: Quod non uno documento probatum dicitur; Eundem sibi, & mensæ suæ illas reservasse; Ac postea bene meritis tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis illarum aliquas concessisse. Imo Ortonem M. & Successores non paucas earum tandem in Ecclesias transtulisse. Quod asseri non posset, nisi Carolum M. decimas has in Clerum, & Ecclesiasticos non transtulisse, probabile esset. Uti exemplis & fide dignis Testimoniis id probatum reddit Gryphiander de Weichbildis Saxonice Cap. 30. Nec frustra opinatur, inde esse, quod in partibus Saxonice, & vicinarum terrarum, Laici decimas obtineant; Quod in aliis Germaniæ Regionibus, vel plane non, vel raro usu venit. &c. Rationem vero ineptam addit ibidem hoc modo: Sed sic soli sunt, præsertim

Ff

Roma-

Romanæ Ecclesiæ sectatores, Carolo M. cum justo antiquiora quædam credi voluerunt, quam revera fuerunt omnia affingere; & fabulis involvere: Quod ex recentioribus omni exceptione majoribus testibus probare valuissent. Hactenus sane confidenter illustris Dnus Rhetius.

Sed si vel unica inspexisset monumenta Paderbornensia; Et ibidem infine leges Carolinas, sive Capitulationes binas de partibus Saxonie; sane longe aliter sensisset. Verba sunt in Capitulatione I. disertissima: Capitulo XIV. *De minoribus capitulis consenserunt omnes: Ad unamquamque Ecclesiam, civitatem & duos mansos terra, Pagenses ad Ecclesiam recurrentes condonent: Et inter centum viginti homines, nobiles, & ingenuos; Similiter & litos, seruum, & ancillam eidem Ecclesia tribuant.*

Capitulo XV. *Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque sensus aliquid ad Fiscum pervenerit, sive in Frido, sive in qualicunque Banno, & omni Redhibitione (id est, Tributo, vel Reditu) ad Regem pertinens, decima pars Ecclesiis & Sacerdotibus reddatur.*

Capitulo XVI. *Similiter secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui, Ecclesiis, & Sacerdotibus donent, tam nobiles, quam ingenui; Similiter & liti: Juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant. &c. Conferantur Diplomata Ecclesiæ Verdensi, & Bremensi concessa sub initium, apud Schatenium in Historia Westfalie Libro 8. &c.*

Si, inquam, illustris Dnus Rhetius hæc Capitulationes de Partibus Saxonie Caroli M. vel fugitivo oculo inspexisset, quod facere poterat cum monumenta Paderbornensia, & hæ Capitulationes, vel leges jam diu sint editæ, apud plures scriptores, sane tam turpiter contra manifestam rei veritatem non impigisset. Scribit quidem ibidem §. 92. non multum referre, utrum credatur, vel statuatur. Verbis. Non tamen multum interest ad utilitatem vel Regionum, vel Regni Germanie; sed tantum ad Historie veritatem: An durius Saxonia, qualis tunc fuit; vel Frisia; vel alia Provincia fuerint habitæ à Carolo M. Hæc enim jura victoris in devictos id effecerunt: Ac harum Regionum, quas nos incolimus, affecerunt etiam partes; Cum reliquis Germanie populis eadem antea gavissæ sunt libertate, & fortitudinis celebritate: Ac post Carolum

rolum M. eandem cum ceteris recuperarunt; Et illa fruuntur feliciter. Sed quicquid sit, illud manifestum est, Jctos nostros etiam gravissimos atque doctissimos, & Doctores Juris Civilis Romani ob ignorationem Historiarum Patriarum, & neglectum inspectionis propriæ antiquorum documentorum, & scriptorum coævorum, in ejusmodi rebus gravissime sæpe labi, & peccare; Et pueris ipsis ridendos & pudendos errores committere. Quod in eorum contumeliam, & ignominiam minime dictum volo; Sed ut adolescententes nostros, qui veram doctrinarum viam sectantur, meo exemplo accendam, & commoneam, ne alienis oculis nimium confidant; Sed ipsos Auctores coævos, atque antiqua monumenta ipsimet inspiciant; Quibus copia harum rerum, & librorum quidem datur. &c.

Celeberrimus Dominus Coccejus Professor Publicus, & emeritus in Academia Francofurtensi aliam profus viam ingreditur; Et quidem concedit Saxones superiores à Carolo M. in Libertatem pristinam post finitum bellum Saxonicum fuisse restitutos; Westfalos vero ob singularem perfidiam, feritatem atque contumaciam gentis singulariter, & factò ipso, ut loquitur, fuisse exceptos. Cum contrarium potius de Westfalis omnia antiqua documenta, Annales & Historici Coævi ad oculum ostendant. Verba ipsius audiamus in juris publici prudentia Cap. 3. Sectione 3. de Saxoniam §. 37. Subactam itaque Saxoniam, & Christi præceptis imbutam, Carolus M. non in Ducatum erexit, uti *Bavariam*; Sed in *pristinum Statum*, ex *Populari* libertate, & *optimatum* administratione mixtum restituit: Hac formula: *Ut populus Saxonicus, unus cum Francis esset populus: Sed suis legibus viveret.* Quod ibidem variis argumentis ex historia, & sana ratione probat, atque demonstrat, verbis notatu dignis. Hoc ut pateat, inquit, ostendendum simul est: Saxoniam ante Hermannum Billingum non habuisse Duces cum propria potestate, præter Cæsares. Id vero docet (.) ipse Carolus M. in Diplomate suo apud Adamum Bremensem Historiæ Ecclesiasticæ Libro I. Cap. 10. ubi ait: *Saxones pristina libertati donatos; Et omni debito censu à se solutos fuisse.* Pristinæ vero libertatis status fuit popularis cum *Aristocratica Administratione*; Non vero *Ducatus*. Sive *Administratio*, & *Magistratus superior & supereminens*

nens ac perpetuus, uti ego quidem verba Clar. Cocceji comprehendo, (2.) Eginhardus in vita Caroli M. ubi hanc formulam fuisse testatur: *Ut Saxones Francisc adunati, unus cum eis populos efficerentur.* Quod verum non esset, si Saxones præter Cæsarem habuissent Ducem, cum propria potestate.

(3.) Poeta antiquus vitæ Carolinæ scriptor; Qui hanc formulam affert:

*Tum sub iudiciis, quos Rex imponeret ipsis
Legatisque suis, permissi legibus mihi
Saxones Patriis, & Libertatis honore.*

(4) Idem demonstrant, qui de Henrico I. tradunt: *Quod pri-
mus libera potestate regnaverit in Saxonia. &c.*

Et postea ibidem §. 41. verbis: *Etsi autem Saxonia veteri libertati reddita fuerit à Carolo M. Ipso tamen factò exceptam fuisse Westfaliam: Quin & partem Ostfalia,* ostenditur Cap. 9. inquit Coccejus. Ex quibus documentis, vel scriptoribus antiquis & authenticis hæc hauserit Dominus Coccejus, mihi non constat. In antiquis vero nemini creditur, qualiscunque sit auctoritatis, vel dignitatis nisi testem corævum laudet, & sequatur. Vide Rhetium in Commentario ad jus feudale, sub initium. Ubi scribit: pag. 2. Qui de superiori ætate historiam texit, aut Spiritu Sancto dictante loqui, aut ævi illius scriptorum auctoritatem, & testimonium afferre, & sequi debet. &c.

Quod vero antiqua Saxonia, sive Westfalia tempore Caroli M. immediata Regni, & imperii Francici provincia facta fuerit, inde deducit Clarissimus Dnus Coccejus pag. 180. ibidem, tam multos reperiri servilis conditionis homines in antiqua nostra Saxonia, sive Westfalia: Quasi vero immediata subiectio alicujus populi supremo alterius populi imperio facta, servitutem veram perfectam, formalem, atque universalem totius populi involveret, atque importaret; Id quod supra ex Grotio, & rerum circumstantiis, ac pacis Saxonice conditionibus refutavimus; Et infra pluribus. Deo dante, resellemus. Sic vero ibidem scribit vir Clarissimus: Cap. 9. §. 11. Hinc quoque apparet, cur Suevia, & Westfalia adeo oppletæ fuerint hominibus propriis, qui hodieque supersunt. Quod deinde pluribus probare cogatur, verbis sequentibus: De Westfalia id ex Gregorio Turonensi

nenſi docet, & probat Chronicon Mindenſe, apud Meibomium, verbis: *Dicit B. Gregorius Turonenſis, quod Saxonibus per Carolum ultra Weſeram fugatis, qui de eis manſerant, in ſervitutem redacti ſunt à Rege. Et hæc eſt cauſa tot ſervorum in illa Regione. &c.* Et poſtea: *Quin & in Weſſaliam Carolus M. novos incolas induxit; iisque terram dedit. Aventinus Libro 4. Hiſtoriæ, ſive Annalium Boicorum. Chronicon Mindenſe dicto loco: Ne Patria, de qua Carolus M. antiquos Saxones, ultra Weſeram fluvium fugaverat, deſolata, & vacua maneret, novum populum de Francia, Eſſlaria, Haſbania & Arduenna introducens, terram eis dedit perpetuo jure poſſidendam. &c.*

Deinde poſt multa æque abſona argumenta tandem concludit, §. 13. *Ex his perſpicuum ſit; Weſſaliam quoque factò ipſo reſervatam fuiſſe Regno; Ejuſque immediatam eſſe Provinciã. Rationem addit: Nam & novæ illæ Coloniæ immediate terram à Rege acceperunt; Et judicia Regni immediate (v.g. judicium occultum Weſſalicum) in ea inſtituta ſunt. Ipſa terra tota à Carolo M. in IV. Comitatus; Et totidem Epiſcopatus diviſa eſt: Adeoque non propria poteſtate donata. Et exſtat Diploma Caroli M. de Anno 788. Quo Truhmannum Comitẽ Weſſalia ita dedit: Quapropter in illa parte Saxonie (Weſſalia) Truhmannum virum illuſtrem ibidem Comitẽ ordinamus, ut reſideat in curie ad campos, in mallo publico ad univerſorum cauſas audiendas, & reſta judicia terminanda. &c.* Hucusque Dnus Coccejus.

Verum enim vero vim conſequentiæ nullatenus video: Saxonia antiqua ſive Weſſalia immediate imperio, ſive Regno Francico ſubjecta eſt à Carolo M. & in Provinciæ formam redacta; Ergo Weſſali omnes, ſive Saxones horum locorum in Univerſum, in veram, perfectam, & formalem ſervitutem fuerunt redacti. Vel Weſſalia univerſa in veram & omnimodam ſervitutem fuit detrufa à Carolo M. Quæ conſequentia nullo modo valet, uti ſupra ex Grotio pluribus oſtendimus; Utpote cum ſubjectio illa publica, & politica, cum libertate civili, & naturali poſſit ſubſiſtere; uti ipſemet Grotius pluribus locis oſtendit. Deinde, omnes provinciæ tam Germanorum quam Gallorum immediate ſubjectæ erant imperio & Regno Francorum ſub Carolo M. Ergo omnes in Uni-

versum populi in Regno Francorum fuerunt servilis conditionis. Quod nullo modo sequitur. Imo si vetustis documentis, & actis publicis credere volumus universa Saxonia antiqua, id est, Westfalia immediate non tantum Regno & imperio Francorum; Sed quoad decimas & primitias frugum Sacerdotibus & Episcopis subjecta fuit. Conferatur Diploma Carolinum Truhtmanno Comiti ut vulgo putatur, datum, de Anno 789. apud Schatenium Historiæ Westfalicæ Libro VIII. pag. 539. Ubi hæc disertissima verba habentur: *Propterea omnes Christi fideles noverint; Quod Saxones, quos à progenitoribus nostris, ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles; Ipsique Deo & nobis tam diu rebelles, quousque illius, non nostra virtute, ipsos & bellis vicimus, & ad Baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristina libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsique Tributarios & subjugales devote addiximus.* Diploma Verdense de Anno 786. apud Nicolaum Schatenium Historiæ Westfalicæ Libro 8. pag. 505. sic habet: *Quapropter notum sit omnibus fidelibus in Christo: Quod Saxones, qui hæcenus Deo & nobis ob suæ pertinaciæ perfidiam, semper cervicæ indomabili, & rebelles, obsecundare detrectarunt, modo tandem aliquando, virtute Christi propitiante, bellorum instantia vicimus; Et ad Baptismi gratiam divinæ miseratione perduximus, ut gentes, quæ Dominum gloriæ non noverant, & Regna, quæ nomen Domini non invocaverant, in lege Dei, meditari die ac nocte, adjudicavimus; Et qui hucusque jugum Christi ferre minime contendebant, Domino nostro Ihesu Christo, & Sacerdotibus ejus, omnium jumentorum suorum, & fructuum terre; Et omnis agriculturæ decimas, & nutrituræ, simul in unum divites & pauperes, secundum canonicam assertionem, & legalem cautionem constricli, de cætero persolvant. &c.* Diploma Bremense de Anno 788. pag. 514. sic habet: *Quapropter noverint omnes Christi fideles: Quod Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles, ipsique Deo & nobis tam diu rebelles, quousque illius non nostra virtute, ipsos & bellis vicimus; Et ad Baptismi gratiam Deo annuente perduximus, pristina libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi Tributarios, & subjugales, devote addiximus; Fidelices, ut qui nostræ potestatis jugum hæcenus ferre detrectaverunt, victi jam, Deo gratias, & armis, & fide:*

fide; Domino, & Salvatori nostro Jesu Christo & sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum & fructuum, totiusque cultura decimas, ac nutritura, divites ac pauperes legaliter constricli persolvant. &c.

Ex quibus omnibus manifeste apparet, universam Saxoniam quoad decimas saltem, & oblationes fidelium sacerdotibus, & præcipue Episcopis, & Abbatibus immediate fuisse subjectam à Carolo M. Ipsiisque vel potius Jesu Christo tributariam & subjugalem factam, ut Carolus noster M. loquitur. An vero exinde servitus universalis & vera ac perfecta Saxonum Westfalieorum posset extundi, & an servitus illa spiritualis Jesu Christo promissæ libertati Saxonum naturali & civili præjudicare atque officere, de eo judicent harum rerum periti, & antiquitatis patriæ cultores eruditi. Conferatur omnino Nicolaus Schatenius, præclarus Jesuita Libro 8. Historiæ Westfalicæ pag. 521. ubi eleganter scribit: Alterum exquiritur; *Utrumne Carolus M. debellatam à se Saxoniam Episcopis, & sacerdotibus tributariam fecerit?* Id enim cum in Diplomate Bremensi & Verdensi à Carolo assertum; Tum aliorum consensu tenemus. Plane enim Carolus M. postquam ad Baptismi gratiam perduxerat Saxones, profiteretur: Se pristinæ libertati donatos, omnique debito censu solutos, pro amore ejus, qui sibi victoriam contulit, ipsi, & sacerdotibus ejus Tributarios, ac subjugales addixisse. Quæ si ullibi, tum certe intra dioceses Episcoporum locum habent. Quod enim *Tributum Clotharius, ceterique Francorum Reges Saxonie imponere;* Quodque hætenus tot bellorum, atque rebellionum fomes fuerat, id Carolus M. subacta demum Saxoniam, convertit in decimas omnium frugum, & pecorum, totiusque culturæ, Episcopis & sacerdotibus pendendas: Si non novo etiam onere impositæ sunt decimæ. Idque pro jure belli, & rebellionis pœna sibi Carolus M. sumpserit; Postquam toties ingenuorum jura, & omnem gentis libertatem toties abjurando; Toties deinde perfidi ac rebelles, ultro se hisce pœnis obnoxios, damnatosque fecerant. Quæ tamen ita moderatus est Carolus, ut pro extrema servitute, quam imponere poterat, Tributa in decimas commutavit: Ac Sacerdotibus, quibus jure divino debentur, attribuerit: Jusseritque tantæ fortunæ homines, quam divites pendere: Quo Christi jumentum ferre, & venerari sacerdotes Christianos discerent; *Qui Regni Fran-*

Francici imperium, tributumque hæcenus ferro derroctaram? Conferatur omnino Auctor vitæ S. Meinverci sub initium, verbis: Gens Saxonica quam Carolus M. ad credendum eo compulit difficilior, quod id genus hominum natura animi erat ferocius, subiecta iugo fidei, facta est sacerdotibus Tributaria: Quæ Tributa aliorum exegerat temeraria; Cæpitque sua pro Christi amore, Christianis tribuere; quæ raptu aliorum solebat vivere. Descriuntur fana idolorum: Ex exornantur oratoria Sanctorum. Designantur Parochiarum termini. Constituantur Episcopatum sedium in locis congruis Tituli: In quibus rudis adhuc in fide populus, ne ad perfidiam pristinam relaberetur, salutaribus monitis imbueretur: Et fervientium Deo multitudo, numero, & merito quotidie augetur. Conferatur Breverus, & Adolphus Overham in notis ibidem. &c.

Non nescio quidem, hæc Diplomata Carolina in dubium revocari à viris eruditissimis tam inter Romano Catholicos, quam Protestantibus, & nominatim à Papebrochio in Propylæo Antiquario ad mensem, Aprilem in Actis Sanctorum; à Carolo Le-Cointe, in Historia Ecclesiastica Francorum ad Annum 787. 788. & 789. à Domino Mabillonio in erudito opere, de Re Diplomatica; & aliis. Inter Protestantibus à Gryphandro de Weichbildis Saxonice Cap. 24. ex professo: A Winckelmanno in noticia veteris Saxo-Westphaliae; A Crusio Jcto Mindensi, in Widekindo M. & dissertatione, de Diplomate Carolino, Truthmanno Comiti dato; ab Illustri Domino Rhetio in institutionibus juris publici Libro I. Titulo 2. §. 74. & seq. Et reliquis ejusmodi scriptoribus. Sed quod pace Illustrium, & doctissimorum illorum virorum dixerim, absque ulla solida, & legitima ratione, & fundamento. Nam cur hæc Diplomata confinxerint Sacerdotes & Clerici, nullam solidam, & justam rationem video: Cum alias ex legibus antiquis & Capitalibus Regum Francorum apud Baluzium satis pateat, quam fuerit Clero addictus Carolus noster Magnus. Ideoque hoc Diploma *Truthmannianum* etiam notis suis eruditissimis inseruit Clariss. Dnus Baluzius: Quod utique non fecisset, si hoc præceptum sive Diploma pro ficticio, & spurio atque illegitimo habuisset. Sed quid opus est verbis, cum rerum, & documentorum, ac legum veterum Testimonia evidentia adsint. Supra enim ex capitulatione prima de partibus Saxoniae capitulum adduximus, ubi disertis verbis Carolus M. sanxit: Ut Saxo-

Saxones tam nobiles & ingenui, quam liti decimam partem substantiæ Ecclesiis donent. Verba sunt notabilia, & huc reducenda ac repetenda, Cap. XVI. *Similiter secundum Dei mandatum precipimus, ut omnes decimam partem substantiæ, & laboris sui Ecclesiis & sacerdotibus donent, tam nobiles, quam ingenui; Similiter & liti: Juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddam. &c.* Credo, si viri hi eruditissimi hanc Capitulationem I. de partibus Saxonie vidissent, atque cum fructu, & sano sensu legissent; aliter de libertate Saxonum, nec non de veritate horum Diplomatum & chartarum sensissent, ac judicassent. Sicuti quidam inter eos hanc ob causam priorem sententiam ultro & sponte revocarunt. Inter quos est Papebrochius Jesuita. Vide Schatenium Jesuitam Libro 9. Historiæ Westfalicæ in notis ad Diploma Osnabrugensè;

Verum ut ad propositum nostrum revertamur, bini adhuc errores gravissimi, & minime ferendi clarissimi Domini Coccej adhuc detegendi & notandi sunt. Nempe asserit sane confidenter; Universam Westfaliam in IV. Comitatus, & IV. Episcopatus, post finitum bellum Saxonicum, & pacem universalem An. 803. five ut alii computant Anno 804. initam, esse divisam, uti supra diximus: Quæ omnia omnibus ejus ævi monumentis, & scriptoribus coævīs adversantur. Nam ut de numero Episcopatum à Carolo M. fundatorum incipiamus, omnino fatendum est, diversas esse & fuisse auctorum hac de re sententias. Sed numerum IV. nusquam, & nunquam legisse me memini. Imo eleganter talium auctorum vel scriptorum de numero Episcopatum sententiam recenset, & exponit doctissimus Dnus Jacobus Andreas Crusius Ictus Mindensis in Widekindo M. Cap. XV. his verbis notatu dignissimis: pag. 45. *Witickindi conversio ad sacra Christiana, & pacem Saxoniam peperit; Et ad propagandam Christianam Religionem maxima incrementa dedit. De priori auctor compilationis Chronologicæ à Madero editus: (Forte ad Annum 785. vel circiter) Widekindus Dux Saxonum baptizatur Wormatiæ, à Carolo Patre, cum omnibus suis. Et sic pax fit in terra. Nec non auctor vitæ Caroli M. à Pichoco editus: Tunc tota Saxoniam subjugata est. Quievitque illa Saxonica perfidia pervicacitas per Annos aliquos. Octo scilicet. Ut computat Dnus Crusius. Confer Poetam Anonymum, verbis:*

Hic iidem proceres sacri baptismatis unda

Perfusi; Tandem Regi mansere fideles.

Ipsaque gens aliquor requieverat inde per Annos. &c.

De posteriori propagatione Christianismi (vel potius post pacem ultimam initam, cum Saxonibus) prælaudatus auctor compilationis Chronologicæ: *Tunc Saxones, ait, Francis adunati, efficiuntur populus unus: Et divisa est Saxonia in Octo Episcopatus. &c.*

Idem tradit Adamus Bremensis; *Quem more suo sequitur Albertus Stadenfis. De eodem numero Episcopatuum à Carolo M. in Saxonia constitutorum testantur Helmoldus, Ditmarus Episcopus Merseburgensis: Et ex recentioribus Lupoldus à Babenberg, de Zelo veterum principum Germaniæ in Religione Cap. 9. Et Paulus Langius in præfatione Chronici Citiensis addatur Adolphus Overham in notis ad vitam Meinverci, ad verba: Constituntur Episcopatum sedium tituli. Ubi notat: Ditmarus Merseburgensis in Chronico Libro VII. Anno Dominice incarnationis DCCC. id est, 800. prædictus Caesar Carolus, ad sua virtutis & bona operationis decorationem, in una die Octo Episcopatus in Saxonia Christo subditi, dispositis singularibus Parochiis constituit. Adamus Bremensis Libro I. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 9. hanc Saxoniam in Episcopatus divisionem refert ad Annum Caroli M. XIIX. id est, 18. Cum videlicet Anno 785. vel ut annales Tiliani, Anno sequenti 786, tota hyeme, cum Fastrada Regina, filiis, & filiabus, Eresburgi in Saxonia moraretur; Et Paderbornæ conventum principum institueret, & Widebindus facta deditione pacem cum Deo, & Carolo iniret. Auditor Translationis S. Liborii Cap. I. num. 2. Indefinite, nulla annorum apposita nota, scribit: Carolum M. ut se magis Christianæ Religionis quam Regni sui dilatandi causa, tantæ rei difficultatem aggressum ostenderet; Ecclesias per omnem Regionem illam Saxonia, ad quas raris in fide populus consueverat; Et Sacramentis celestibus iniciari consueverat, subquanta potuit, celeritate construi fecisse. Atque Parochias diligenti ratione, suis quasque Terminis servandas designasse. &c. Quod factum utique ante Annum 800. inquit Adolphus Overham. Et postea in fine tandem sic contra Gryphianum concludit: Habebat suum Brema Willehadum jam tum ab Anno 787. Osnabruga Wihonem; Mimigardesforda cum potestate*

tate Episcopi *Lindgerum*; Germanum ejus *Hildegrium Halberstadium*, Ecclesia *Paderbornensis* suum *Huthumarum*; Suosque alia per Saxoniam Ecclesie antistites. Ut proinde divisio illa redacta in Provinciam Saxonie, in octo Dioceses, quam *Dithmarus* Anno 800. à Carolo M. factam scripsit, de exacta finium cujusque Episcopatus divisione, & descriptione intelligi potius debeat; quam de prima Episcoporum, ac diocesum singularum designatione. Ubi addit. Quid ad hæc *Gryphander*? *Magis verisimile est*, inquit, Cap. 29. De *Weichbildis* Saxonie, à Carolo M. ne unum quidem Episcopatum in Saxonia conditum esse: Ac ne conditum potuisse, flagrante nempe adhuc bello Saxonico. Sed hujus, aliorumque ejusdem farinae hominum sive insciam, sive malitiam affatum detexerunt alii. Inquit *Adolphus Overhammius*, eruditus Monachus *Benedictinus*, in notis ad vitam *B. Meinverci*, pag. 277.

Quicquid sit, mire tamen in numero conditorum à Carolo M. Episcopatum variant auctores, tam novi, quam veteres; Imo nullum fere ejus rei vestigium reperitur apud scriptores coævus. Adeo ut operæ pretium faceret, qui hanc materiam ex professo examinaret, & rei veritatem indagaret. Pergit ibidem *Crusius* pag. 45. num. 3. Aliis tamen *septenarium* cum *Gobelino* Ætate VI. Cap. 38. Ejusque exscriptore *Crantzio* Libro 2. Saxonie Cap. 23. enumerantibus. Quibus *nonum* adjecit *Petrus Beckius* in *Aquisgrano*, Cap. 5. *Denarium* alii, secuti *Wernerum Rolevinckium* de laudibus *Westphalie* Libro 2. Cap. 8. Quem numerum quod præter *Chronicon Mindense* à *Meibomio* editum, exhibent duo, quæ possideo, *Chronica Mistra Mindensia*, hæcenus inedita.

Recte vero ibidem reprehendit *Gryphandrum clariss. Dnus Crusius*, quod antiqua documenta, & annales more *Jctorum* solito, diligentius non inspexerit; Verbis notatu dignissimis: Parum vero versatus videtur in perlectione Diplomatum *Caroli M. de Fundatione Episcopatum Saxonie*, *Johannes Gryphander*, in præclaro alioquin opere, de *Weichbildis* Saxonie Cap. 29. Cum veri simile sibi videri asserit: A Carolo M. ne unum quidem Episcopatum in Saxonia constitutum fuisse. Quæ sententia & nova, & singularis, omnibus melioribus istius ævi monumentis, & Diplomatum re-pugnat. Hæcenus *Crusius*. Nescio tamen, quænam antiqua Regum

Regum ac Diplomata intelligat vir Eruditus, cum præter Diplomata Ecclesiæ Verdensi, & Bremensi data, item Ecclesiæ Osnabrugensi concessa, nulla extent Carolina Diplomata *de Fundatione Ecclesiarum, & Episcopatum* in antiqua Saxonia, sive Westfalia: Sicuti in peculiari dissertatione, de Fundatione Episcopatum Saxoniarum, eorumque juribus, & Privilegiis latius deduximus. Sane in Catalogo Episcopatum, & Ecclesiarum Cathedralium, quem Schobingerus subnexuit Vadiani Tractatui, de collegiis, & monasteriis Germaniæ antiquis, sub Titulo: *Brevis annotatio, de civitatibus & Metropoleis*, vel quales sub se habeant civitates. &c. Nec vola, nec vestigium, ullius Fundati Episcopatus Saxonici à Carolo M. apparet: Nisi velimus dicere, hunc Catalogum pridem confectum, antequam Carolus M. Episcopatus & Ecclesias Cathedralis Saxonicas concederet, atque fundaret. Verum Anno Regni 41. scriptum esse, ibidem judicat Schobingerus, verbis: *Operæ pretium, nec minus lectori, rem gratam facturos nos putavimus: Si Metropolitanorum Francorum & Germanorum, quales, & quot quisque sub se Episcopos; vel Metropoleon, quales sub se illo tempore civitates habuere, distributionem ex vetustissimo quodam codice, qui Anno Regni Caroli M. 42. Imperii autem 9. scriptus est, desumptam hic subjiceremus.* &c. Verum ut in viam, unde paululum divertimus, revertamur, alter adhuc error clarissimi Dni Cocceji refellendus est; Dum loco allegato absque teste, & Auctore Coævo scribere non veretur: Ipsam terram totam, nempe antiquam Saxoniam, id est, Westphaliam in *IV. Comitatus*, & totidem Episcopatus fuisse divisam; Adeoque non propria potestate donatam. Vide eundem pag. 182. sed quis unquam vel usquam scriptorum veterum vel novorum meminit, vel litterarum monumentis prodidit: Westphaliam nostram in *IV.* duntaxat *Comitatus* fuisse divisam? Cum potius ex divisione pagorum manifestum sit, eam jam tum ante Carolum M. in varias, imo pene infinitas particulas fuisse divisam ac fere disceptam. Unde versus Anonymi Poete Paderbornensis:

Sed variis divisa modis plebs omnis habebat

Quor pagos, tot pene Duces.

Conferatur omnino doctissimus Meibomius Senior, in *Tractatu, de pagis veteris Germaniæ.* Ubi notanter scribit: *Ut Ro-*

mani suum Reipublicæ orbem in Provincias ; Et has in præfecturas , præfidatus , colonias , municipia distributas habuerunt : Ita Germania vetus (adde, & Saxonia nostra antiqua) pro simplicitate gentis in *Pagos* divisa fuit. Testis Julius Cæsar Libro I. De bello Gallico, ubi scribit : Totam *Helvetiam in IV. Pagos esse distinctam. &c.* Testis Cornelius Tacitus de moribus Germanorum, his verbis : *Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos, vicosque reddunt. &c.* De pagis veterum Saxonum ita scribit Wernerus Rolevincius, Tractatu, de laudibus antiquæ Saxonix : *Regem antiqui Saxones non habebant ; Sed per pagos Satrapas constitutos. Morisque erat, ut semel in Anno generale Concilium agerent in media Saxonia juxta fluvium Weseram, ad locum qui dicitur Marcklo. Solebant ibi omnes in unum Satrapa convenire : Ex pagisque singulis duodecim electi nobiles ; Totidemque liberi ; Et villici (alii legunt, laici.) Renovabant ibi leges ; Præcipuas causas adjudicabant ; Et quid per Annum essent acturi, sive in bello, sive in pace, communi decreto statuebant. Unde versus :*

Sed variis divisa modis plebs omnis habebat

Quot pagos, tot pene Duces : Velut unius artus

Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.

Et postea : Constat autem tam Saxonis, quam reliquos Germanos, quoties loci alicujus situm exprimere volebant, describere solitos, in quo pago, & ad quem fluvium is situs esset. Erat enim tota etiam Saxonia in *Comitatus* varios divisa : Quorum Dinastia vel Regum Franciorum ; vel post Cæsarum Saxoniorum, aliorumque ipsis succedentium Imperatorum nomine jus per pagos dicebant. Ipsi in Burgo aliquo, id est, oppido, arcem impositam habente, residentes : In quo *mallus publicus*, id est, *Auditorium*, & *Tribunal* esset. Appellatio pagorum usurpari desit circa Annum Christi 1100. Cum pagi in *Ducatus Landgraviatus, & Burggraviatus* migrarent ; Ac hereditario jure possideri inciperent. Hactenus Meibomius.

Cum igitur universa Saxonia in tot pagos, & Regiones divisa esset, nullum superest dubium eam non in IV. duntaxat Comitatus, sed in plurimos, ac prope infinitos divisam, ac ob rationes politicas disceptam fuisse, uti supra ex vetusto scriptore ostendimus.

Verba sunt repetitione digna: Carolus M. inquit, Saxoniam, quæ tunc sub uno principe regebatur, in plures scilicet Comitatus, Baronias, & alia Domina divisit; Et de diversis exteris Regionibus, de quibus confidebat, in Dominos & Rectores dictæ antiquæ Saxonie deputavit; Concedenda cuilibet eorum, juxta ipsius statum & merita, singula Domina; Quibus sub quodam *intolerabili jugo, plebem, seu rusticos antiquæ Saxonie subjecit. &c.* Hactenus vetustus auctor apud Schardium, de juribus ac privilegiis imperii. Quem locum, quamvis undequaque non approbemus, quia erronea quadam continet, aduersus formam Reipublicæ Saxonum vetustam; Tamen exinde constare arbitror: Saxoniam nostram antiquam, non in IV. Comitatus, uti cl. Dnus Coccejus loquitur; sed in mille particulas & Comitatus minutos fuisse disceptam. Conferatur Gryphander de Weichbildis Saxonie Cap. 27. num. 8. & seq. &c.

Infinium vero horum Comitum in universa Germania, & consequenter in antiqua nostra Saxonie fuisse numerum testatur ac probat celeberrimus Dnus Conringius, in notis ad Lampadium, pag. 204. verbis: Cæterum, quia *& vicis*, & pagis (quo nomine intelliguntur, qui *Gove* Francis audierunt) singuli fuere Comites seu Craviones, manifestum est, olim quidem pene infinitum fuisse Comitum numerum. Post vero paulatim plures Comitatus conjungi, atque ad unum transferri cœperunt. Ita sane ad Episcopos; Principes, & Comites quam multi passim Comitatus pervenere; plurimum aucto illorum Teritorio. Hactenus Conringius.

Errat igitur gravissime clariss. Dnus Coccejus, dum scribit: Terram omnem Westfalicam in IV. Comitatus fuisse dispartitam. Quod unde hauserit, ego sane divinare nequeo. Imo ex Diplomate Ludovici Pii in monumentis Paderbornensibus 2dæ Editionis pag. 130. notum est, in exiguo districtu, ubi Corbeiensis Monasterium fundatum est, plures Comites fuisse. Verba Diplomatis digna sunt, quæ adscribantur. Sic autem habent:

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, H. Ludovicus Divina ordinante providentia Imperator Augustus, Badrado Episcopo, & Misso nostro. Nosse te non dubitamus; Qualiter nostra jussione, *Adalhardus* quondam Abba, quoddam *Monasterium in Saxonie à novo opere construxit.* Quod nos & aliqui boni homi-

homines, de quibusdam rebus solenni donatione dotavimus. De quibus omnibus rebus nostræ auctoritatis præceptum, circa idem Monasterium fieri iussimus, ut perpetua Salvatione, in iure ejusdem Monasterii eadem res confisterent. Sed ut Relatione *Warini*, venerabilis ejusdem Monasterii *Abbatis* cognovimus, quidam *Comites* memoratum præceptum nostrum infringere, & convellere volunt; In eo videlicet, quod *homines tam liberos, quam Latos*, qui super terram ejusdem Monasterii consistunt, in hostem ire compellant; Et infringere *judiciario more velint*. Quod nolumus, ut faciant. Et ideo per has litteras nostras tibi præcipimus, ut tu illud præceptum, quod sicut diximus, eidem Monasterio fecimus, adsumas. Et in *presentia eorundem Comitum*, in quorum *Ministeriis res prædicti Monasterii esse* noscuntur, relegendi facias: Et ex nostra auctoritate eis præcipias, ut ulterius nostræ auctoritatis præceptum violare non præsumant: Sed potius, sicut in eodem præcepto continetur, *illud conservare studeant*, si gratiam nostram habere velint. &c. Scribit quidem *Overhammius* in notis ad vitam *Meinverci* pag. 281. hoc Diploma reperiri integrum in editione altera monumentorum *Paderbornensium* pag. 130. Sed defectus memoriæ est illius scriptoris; Quia hoc Diploma ibi non reperitur. &c. Quod obiter monendum duxi.

Ex hoc vero Diplomate colligimus, multos tum temporis in Saxonia nostra *Comites* fuisse: Non vero *IV.* duntaxat Comitatus, uti clariss. *Dnus Coccejus* nullo teste vel auctore loquitur.

Quale vero fuerit tum temporis eorum Comitum officium, & munus, eleganter ex Diplomate *Carolino Fruhmanno* cuidam comiti, sive *fideli Anonymo* dato, explicat celeberrimus *Dnus Conringius* in notis ad *Lampadium*, his verbis: pag. 203. Ipso *Taciti*, & omni post ævo fuisse Germanis *Principes* ex nobilitate lectos, qui jura per *pagos*, & *vicos* redderent, ac dicerent: Hosque adeo Germanicè *Grauen*, sive *Grauen Aldermannos*; Et sequioribus seculis, ob similitudinem aliquam dignitatis Comitivæ, in Romano imperio usitatae, latine loquentibus & scribentibus *Comites*; Nonnullis & *Graviones* appellatos esse, supra diximus. Præter vero dictionem juris, nihil illis in officio; sed reliqua belli, pacisque negotia in arbitrio fuisse populi; Nec *Principes* hœcæ *judices*, hereditario jure,

jure, sed populi electione constitutos: Imo non solos judicasse; Sed ex plebe Comites, sive Assesores iis junctos in consilium & auctoritatem, abunde testatur idem Tacitus de moribus Germanorum. &c.

Non aliud illorum fuisse munus, etiam Carolo M. imperante, liquet ex Diplomate illo Caroli istius, quo *Truhmannum* instituit Comitem, in aliqua Westphaliae parte, ab Henrico Meibomio in Vindiciis Billinganis adducto. Quapropter, sunt verba Diplomatis, in illa parte Saxonie *Truhmannum virum illustrem ibidem Comitem* (id est, judicem) ordinamus, ut resideat in curie, ad campos, in mallo (hoc est, loco judicii) ad universorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda. Isque Advocatum omnium Presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat; Superque vicarios (id est, scultetos) & Scabinnos, quos sub se habet, diligenter inquirat, & animadvertat. Ita ut officia sua sedulo peragant. &c.

Ex quo loco celeberrimi Conringii apparet, illum hoc Diploma Carolinum non solum pro genuino & vero agnovisse; Sed etiam *Truhmannum* Comitem pro singulari persona habuisse.

Verum si recte inspiciatur hæc charta, ego sane non obstante Magni Conringii auctoritate, in ea versor sententia, eam chartam quandam ingenuitatis generalem fuisse, & formulam illam ad nos ereductam, & nescio, quomodo propagatam. Omnesque fideles Saxones, id est *Truhmannos* similem ingenuitatis chartam, ac Diploma accepisse; Et in hac formula nomen proprium Comitis fuisse omisum. Confirmor in ea opinione ex eo, quod passim in antiquis monumentis manifesta distinctio appareat, inter *fideles* & *infideles* Saxones. Cujus rei exemplum memorabile extat in Diplomate Carolino vetustissimo, quod primus publicavit doctissimus Jesuita Schatenius Libro X. Historiæ Westphalicae pag. 648. Ubi manifesta & aperta distinctio inter fideles, id est *Truhmannos*, & infideles Saxones reperitur, in hunc modum:

In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Karolus serenissimus Augustus à Deo Coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanum gubernans imperium: Qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum. Omnibus fidelibus nostris presentibus, & futuris notum sit; Quia *Asig*, qui & *Adabricus fidelis*

lis noster innotuit Serenitati nostræ, eo quod Pater ejus *Hiddi*, dum ceteri Saxones contra nos infideliter egissent; præfatus *Hiddi*, mallens fidem suam servare, quam cum ceteris infidelibus perseverare, relinquens Patriam nativitatæ suæ, veniens ad nos; Et dum in nostro esset obsequio, venit ad villam, cujus est vocabulum *Wulwis-Angar*, quam tunc temporis *Franci*, & Saxones pariter inhabitare videbantur; Cupiens ibi manere, sed minime potuit. Tunc pergens ad locum, qui dicitur *Hawco-Brunno*, inter *Wiseræa*, & *Euldaa* occupavit sibi partem quandam de sylva, quæ vocatur *Bochonia*. &c. Et postea nos tamen propter fidei servitium prædicti fidelis nostri *Afig*. &c. Totum Diploma videri potest apud prædictum *Schatenium*, &c. Ex quo Diplomate manifeste, ni fallor apparet, plures fuisse in Saxonia ejusmodi *Truchmannos*, *Antrufiones*, *Druides*, id est fideles *Comites*, & *Ministros Regios*, uti supra ex *Lexicis*, & *Glossariis* ad voces hæc demonstravimus.

Concludimus igitur, hoc Diploma Carolinum non fuisse uni alicui singulari *Comiti Truhtmanno* dicto datum; Sed omnibus *Truhtmannis*, id est fidelibus Saxonibus fuisse concessum flagrante & durante adhuc bello Saxonico; Quod ex formula ipsa apparet arbitror, quæ universalis, ac generalis est. Nec obstat, quod *villa Truhtmanni* disertim in Diplomate memoretur; Quod non potest de pluribus villis prædicari; Et ad unam villam jam civitatem imperialem *Tremoniam* potest ac debet applicari. Nam ut sileam diversas esse de origine nominis *Tremonia* auctorum sententias, *Vide Gerhardi Mercatoris Atlantem* minorem ubi agit de *Westphalia* pag. 384. verbis: *Tremonia, Dormunde*, in meditullio *Comitatus Tremoniensis*. Hic *Sacri Imperii Comitatus*, atque etiam *Urbs*, earum ditionum *Albo* recensentur, quæ sine intermedio *Romanorum Imperatorem* agnoscunt *Dominum*. *Urbs* quondam à *Trotmannis*, *Suevorum populis Troimannia*; Posteris temporibus *Tremonia*, vulgari autem dialecto *Dortmund* appellata est. *Annales*, veterumque, quæ extant, monumenta declarant, eo loci, ubi postea *Urbs Tremoniensis* exstructa est, duos olim pagos, veterem scilicet, & novum existisse, qui imperium castri *Tremoniorum* intermedii sequerentur. Sub id vero tempus, quando *Carolus M.* hæc omnes *Saxonicas Provincias* subegisset, jus *municipium*

cipii excipere, paulatimque in oppidum coalescere cœpisse. &c. Is enim perfecta soli ubertate, litusque non vulgari præstantia, Colonias huc deduxit; sedemque hic sibi, Aulæque Regiæ Domicilium firmavit. Ex qua vetustatis memoria in agro suburbano, fertilissimo equidem loco posita latifundia, quorum possessio per Comites olim in Senatum translata est, *Königs-Hoffes-Landt*, & eurtæ, seu villæ illæ amplissimæ, per vicinos agros ditionesque circumjectæ *Reichs-Hoffen* nuncupantur. Quæ census suos frumentorum annuos ad aulam ibi Regiam conferre tenebantur. &c. Hactenus Gerhardus Mercator in Atlante minore. Quem locum prolixiorum ideo suffus adscripsimus, quia originem nominis diversam & multa notatu digna continet. &c. Conferatur Bertius de urbibus Germaniæ Libro III. pag. 276.

Hoc ut fileam, inquam, quam tamen conjecturam de nomine *Tremonia* meam non faciam, sciendum est; Et ex antiquis legibus & monumentis constat, quamplurimas ejusmodi villas sive curtas tam Regias & publicas, quam privatas in Westfalia olim fuisse. Forte igitur plures ejusmodi villæ Truthmannorum id est, fidelium Saxonum fuerint. Imo Reges & Magnates apud Saxones & Francos olim non in urbibus sed villis habitasse ex Tacito de moribus Germanorum notum est. Verbis: Cap. 16. *Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est: Ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut Fons, ut Campus ut Nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morem, connexis, & coherentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat: Sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. &c.*

De villis Regiis conferatur Lehmannus in Chronico Spirensi Libre 2. Cap. 19. pag. 76. verbis: *Ob nun wol in folgenden Zeiten viel Flecken / und Dörffer / an Votek und Reichthum trefflich gewachsen / und jeho fürnehme Reichs-Städte senn; So ist doch gewiß / daß sie zu Zeiten der Teutschen Franckischen Könige / und Käyser noch keine Städte gewesen / und die Qualitäten nicht gehabt / so zuvor erzehlet worden. Sondern werden in den Historien nicht anders als villa Regiæ genemmet; In welchen die Könige gleichfalls Palatia gehabt; und zuweilen auch Reichs-Lage dahin gelegt haben. &c. Exempla videantur ibidem.*

Cum

Cum igitur veteres Franci & Saxones in meris & nudis vilis, non vero in urbibus habitaverint; Nihil est mirum Diploma illud Carolinum de *ingenuitate*, datum in villa Truhtmanni, nempe fidelis illius, vel illius N. N. ubi pro more veterum nomen proprium exprimendum erat. &c.

Quam tamen Conjecturam nemini obtrudere velim, sed ulterius eruditus dijudicandam relinquo. Tibi vero, vir clarissime, atque doctissime, hancce dissertationem vel ideo inscribere volui; Quia non solum recte de ejusmodi materia judicare potes; Sed etiam quia Dormundia, sive Tremonia tibi Patria est. Et te virum longe Eruditissimum primum in lucem extulit. Volui vero Controversiam illustrem de libertate vetusta Saxonica huic conjecturæ subungere, vel potius innectere; Ne nimis jejuna foret hæc Tractatio, & ut comptior, & cultior hæc materia prodiret. Tuum est, ut me adversus Malevolorum morsus, & calumnias defendas; & hanc qualemcunque inscriptionem æqui benique consulas. Vale. &c.

Dabam Halæ Westfalorum

14 May 1713.

H. A. Meinders.

No 1165^a 8

ULB Halle 3
005 713 331




VD 17

VD 18

nc.

03. 2016





3. *Ms. 271*
VINDICIÆ
LIBERTATIS
ANTIQUE SAXONICÆ
SIVE
WESTFALICÆ

Et iusta explicatio

*Diplomatis Carolini Trutmanno Co-
miti prætense dati Anno 779.*

Contra

Illustrem Dominum RHETIUM,

Et

Celeberrimum Dominum COCCEJUM
Profesorem Francofurtensem.

Ubi

Gravissimi errores & lapsus in Historia
Westfalica Jctorum nostrorum deteguntur.

Et

Libertas Saxonie, sive Westfalie

Antiqua ex indubitatis, & certis monumentis asse-
ritur, & stabilitur.

LEMGOVIÆ, Typis & sumptibus HENRICI WILHELMI MEYERI.